



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1702

Sæculum Decimum Septimum, Continens res memorabiles, quæ
contigerunt ab anno Christi 1600. ad 1700.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64733)



SÆCULUM
DECIMUM
SEPTIMUM,

Continens res memorabi-
les, quæ contigerunt ab anno
Christi 1600. ad 1700.

DECAS I.

✽(Ab anno Christi 1600. ad 1610.)✽

✽(1601.)✽

EUROPA, licet magnitudine cæteris
partibus sit minor (utpotè cujus sum-
ma longitudo est milliarium Germani-
corum circiter 900, latitudo verò 550.)
amœnitate tamen, fertilitate, religione,
scientiarum & artium gloriâ, divitiis, ur-
bium copiâ, fortitudine & hominum in-
dustriâ omnes reliquas longè superat.
Continet ea duo Imperia, Occidentale Ro-
manorum, & Orientale Græcorum olim,

L 3

hunc

nunc Turcarum : Habet regna plurima ac potentissima , Hispaniæ , Galliæ , Angliæ , Poloniæ Hungariæ , Bohemiæ , Neapolis , Siciliæ , Scotiæ , Hiberniæ , Norwegiæ , Sveciæ , Dalmatiæ , Croatiæ , Bosniæ , Serviæ , Bulgariæ , Tartariæ minoris , sive Præcopensis , & alia : Sunt in eâ unus Archi. Ducatus Austriæ , & tres magni Ducatus Moschoviæ , Lithuaniam , Hetruriæ : Respublicæ potentiores quatuor , Venetorum , Genuensium , Helvetiorum & Hollandorum : Ducatus , Principatus , & Comitatus innumeri . Quorum omnium res memorabiles nostro sæculo gestas hoc compendium repræsentabit , à Prietio , Zentiphano potissimum & aliis quibusdam fide dignis & approbatis collectum .

ANno post inceptum sæculum primum Clemens instituit Canonizationem S. Raymundi Pennaforti ex Ordine S. Dominici die 29. Aprilis : quo eodem mense venerunt Romam Legati Regis Persarum , in Hispaniam navigaturi , ut Christianos Principes sollicitent contra Turcas .

Hispani Hibernos Catholicos classe missâ contra hæreticos Anglos , à quibus opprimebantur , adjuvant , sed fructu exiguo .

Ludovicus XIII. Rex Galliarum nascitur 4. Kalend. Octobris , cui recens nato pater

pater Henricus IV. gladii capulum dextræ inferuit, precatus, ut eo ad Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem uteretur, quæ vox non optantis, sed ferè vaticinantis fuit.

Carolus Svecus Sigismundi Regis Poloniae patruus post occupatam Sveciam, Livoniam quoque invadit, sed à Polonis cum strage repellitur, capto ejus filio Notho.

In Anglia Comes Essexius, quo Duce in Hibernia cum Comite Tyrone & Hispanis pugnatum fuit, jam conjurationis reus ractus, Londini capite plectitur.

Insignis quidam Impostor Sebastianum Lusitaniæ Regem (qui anno 1578. in expeditione Africana infeliciter occubuit) tantâ arte se esse finxit, ut etiam quibusdam Principibus imposuerit, & Lusitanorum animos maximoperè excitaverit; qui postmodum detectus & ad triremes Neapoli applicatus, in Hispania demùm extinctus est.

In Arragonia 14. Junii quædam campana spontè sonat, futurorum malorum prænuncia.

Ostenda urbs Flandriæ maritima ab Ordinibus Batavicis detenta ineunte Julio ab Alberto Archi-Duce obsideri cœpta, quæ in tertium annum fortissimè restitit, quia

obsessis mare claudi non potuit, per quod
semper commeatum, novumque militem
receperunt, emissis defessis & vulneratis.
RAMI CALVINIANÆ ET LUTHERA-
NÆ HÆRESIS, INITIO SÆCULI
Decimi septimi pullulantes.

METAPHORISTÆ. Sic dicti, quia do-
cuerunt, Filium Dei non esse propriè Ver-
bum aut imaginem Patris, sed tantum metapho-
ricè: Inter hos Metaphoristas fuit præcipuus
unus Daniel Chamærius Monliensis Minister,
qui non tantum titulum Verbi Divini Jesu
Christo eripere, sed & affirmare ausus fuit, Cõ-
stitutum in infantia sua cum Matre sua ineptivisse,
sicut & alii ineptire solent, adeò nimirum bla-
spheumus iste in ordinem purarum creaturarum
redigit Filium Dei, ut inter filios hominum ine-
ptientes numeret: Similes ineptas metaphoras
adhibent in explicandâ Eucharistiâ, apud quos
sumptio Eucharistiæ non est nisi metaphorica tan-
tum comestio. Fuit porro Chamærius homo elo-
quio facundus, neq; indoctus, sed ambitiosissimus
& seditiosissimus rabula, qui nunquam non
urbes concivit, ubi illum adesse contigit, bel-
lum continuò ac cædes intonans, donec anno
1621. in civitate Montalbanâ dum feris ma-
ledicendi Regem Ludovicum, qui tunc obsidio-
ne urbem cinxerat, planè efferatus ad urbis mu-
ros deferretur, ut milites in rebellionè obfirma-
ret.

ret, in ipso muro subito ac fortuito e castris emis-
so tormenti aenei ictu, fœdissimam animam, iras
& flammam spirantem, prius evomuit, quàm
ictum in pinguissimo abdomine sensit.

ANTI-PURITANI Sunt Angli quidam,
Protestantes, qui cum ad Luther-Calvinistarum
classem pertineant, Puritanos ne de nomine qui-
dem vel nôsse, vel audire volunt, quibus tamen
magna necessitudo intercedit, cum Laicocephali-
is superioris sæculi in Anglia pro Pontifice Ec-
clesiæ Universalis Capite rejecto, Laico Regi aut
Reginæ tanquam Capiti in omnibus etiam ad
Ecclesiam & religionem spectantibus sese subji-
cientes.

**PSEUDO-IRENICI, seu FALSI PACI-
FICATORES, aut PACIFICI,** Sic dicun-
tur omnes illi, qui pacis aliquod studium præse-
ferunt, & primo intuitu propius ab Ecclesiâ
Catholicâ abesse videntur, & ad ejus gremium
facilius, quàm ceteri errantes posse reduci, qui
non tam malitiâ & obfirmatione, quàm igno-
rantia & naturali quâdam animi simplicitate ac
facilitate suam istam pacis speciem suffulciunt.
Verùm in hoc tempore, si ignorantia præponderet
malignitas, hic error omnium ferè errorum per-
niciosissimus est; tales enim cum immaculatâ ve-
ræ Ecclesiæ veste putida hereticorum pannicu-
lamenta consuunt falsæ pacis pretextu. Sic do-
cent aliqui Pseudo-Irenici Calvinistæ, Ecclesiam

Calvinisticam non esse alienam à Catholica, fidei veritatem nullis dicunt esse permixtam erroribus, & ipsam Ecclesiam de veritate iudicare, interpretari, scripturas explicare posse ac debere: Fatentur etiam præter Scripturam admittendas esse Traditiones & plura similia cum Catholicis communia loquuntur, sed non cum animo Catholico, fucatam tantum pacem fabricantes in incude simulationis, & mendacii, & fraudis, ad quos pertinet illa Dei O. M. apud Jeremiam queritonia: Et curabant contritionem filiarum populi mei cum ignominia dicentes, Pax, pax! & non erat pax, confusi sunt, quia abominationem fecerunt, quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt, quamobrem cadent inter ruentes, in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. Jer. 6. c. v. 14.

ARMINIANI Nomen obtinuerunt ab Arminio Calviniano, Theologia in Academia Leidensi Professore, qui in multis à Calvinistis discrepavit, in eo tamen concors fuit, quod esset Pontificiæ Sedis hostis infensissimus.

WORSTIANI à Worstio Steinfurtenfis Ecclesiæ Calvinianæ ministro primario & postea in Leidensi Universitate primario Professore.

1. Blasphemavit Worstius contra simplicitatem Dei, in eoque admittit principium aliquod mutabilitatis, quod ait esse voluntatem Dei, cujus respectu modo hæc, modo illa facere possit.

2. Bla-

2. Blasphematur individuum Dei magnitudinem, & reprehendens S. Augustinum, quod Deum dicat magnum sine quantitate, hæc adjungit: Mirum videtur esse paradoxon, Deum sic omnis quantitatis expertem esse, ut totus sit substantialiter in re qualibet, etiam minimâ, itaque etiam in antro scarbæi, aut in apice unius pili; hoc enim esset, magnam & amplissimam Dei essentiam in angustum cogere, sive ex maximo & immenso Deo minimum facere.

3. Blasphematur infinitatem Dei, immensitatem & immutabilitatem, de quibus omnibus valde blasphemias propositiones editas à Worstio, ostendit Gualterius in Collatione veterum errorum cum novis Calvinianis.

Et mira res, & magis ridicula concordia Calvinistarum, quàm concors Sampsoniacarum vulpium colligatarum unio, reperiri multos inter Calvinistas, quales erant Steinfurtenses Comites & Ordines Belgii confederati, qui Worstium tanquam incomparabilem Calvinisticæ prætentæ religionis Atlantem in cælum efferunt, & esse econtra (quales Angli fuerunt) à quibus Worstius expulsus est, qui linguâ & calamo eum dilacerant, monstrum horribile, pestem crudelissimam, blasphematorem, schismaticum, hæreticum, Judeum, Turcam, Ethnicum, Atheum cognominantes.

Sic nimirum spiritus mendacii loquitur in ore Prophetarum suorum, sic sibi met consonat in tuis suis.

SIBANDRINI Dicti à Sibandro Lubberto, uno ex rigidioribus Calvini sectatoribus, qui inter alia blasphemata insuper asserere ausus est:

1. Christum non incessisse eadem virtutis ac sanctitatis viam, quam nobis monstravit.
2. Christum non esse adeptum eam felicitatem, quam aliis promisit.
3. Christum velle, ut omnes firmiter credant se electos esse, licet hoc falsum sit.
4. Fidem unam, quatenus una est, nullo modo nobis imputari ad justitiam.
5. Eandem fidem non esse, saltem juxta Pontificios justitiam nobis inherentem.
6. Pœnitentiam esse simpliciter posteriorem justificatione.

✽(1602.)✽ Exoritur hoc anno ingens controversia de auxiliis gratiæ inter PP. Societatis Jesu, & PP. Dominicanos. Instituuntur proinde hac de materia coram Pontifice & Cardinalibus acerrimæ disputationes, deputatis ex utraque parte viris exquisitissimis, doctissimis, ac simul religiosissimis ardore summo, sed & labore summo, quæ postea duravit non anno uno, nec sub eodem Pontifice, nec ab iisdem Doctoribus; cunctis tamen decisioni Pontificis sese submittentibus. Rex

Rex Æthiopiæ cum suis avidè accipit fidem Romanam quam eidem prædicabat, & declarabat P. Paëtz Societatis JEsu.

Henricus IV. Rex Galliarum edictum in duella promulgat, quibus intra paucos menses quatuor virorum nobilium millia sublata esse ferebantur.

Dux Mercurius magnâ gratulatione à Rudolpho Imperatore exceptus ob rem præclarè gestam contra Turcas in Hungaria redire parat in Galliam, ibi idoneum equitatum conscripturus, ad domandos Turcas, Norimbergæ acutâ febre correptus interiit. Auditâ ejus morte Ottomanii Alban Regalem receperunt, Christiani vice versâ tentârunt Budam, sed huic oppositum Pestum duntaxat obtinuerunt cum ingenti prædâ Germanorum, & majori gloria Caroli Gonzagæ, Ducis Nivernensis, qui fortiter hic depugnans illustri plagâ vulneratus est.

In Galliâ Carolus Gontaldus Dux Birounius Par & Mareschallus Franciæ vir audax & inquietus conjuratione in Regem detectâ publicè capite plectitur: Bullionius autem Calvinianus fugâ elabitur Heidelbergam ad Palatinum, ubi Protestantium operâ anno 1606. Henrico reconciliatus est. Carolus quoque Valesius, Caroli

IX. nothus ejusdem conspirationis reus conjectus est in carcerem, sed inde dimissus & veniâ donatus, mox post biennium iterum conjurationis postulatus in Bastilia annis 12. detentus, carcerem suum mutavit in scholam, ex qua exiit doctior & sapientior.

✱(1603.)✱ Elisabetha Angliæ Regina, sicut vixerat, ita & moritur, diversissimarum sectarum mater & nutrix, die 4. Aprilis, anno ætatis septuagesimo, foemina egregiis à naturâ dotibus ornata, nisi eas astutia, & hæresis, & atrox odium ac crudelis insectatio Catholicorum fædasset. Successit ei tam jure sanguinis (quippe Margarithæ pronepos, quæ Henrici VIII. Regis soror major fuit) quam ex testamento Elisabethæ Jacobus ejus nominis Scotiæ VI, & Angliæ I. Rex, qui se Regem majoris Britanniæ nominavit, eò quòd totam Insulam ditione complecteretur, quæ vix unquam hætenus unicum Dominum passa erat. Parentes Jacobus habuit Catholicos, & matrem propè Martyrem, ut planè mirum videri possit, voluisse illum & hæresin sectari, & Catholicos insectari. Confestim verò ut ex Scotia in Angliam venit, pestis sævissima totam Angliam pervasit, magnâ hominum

NUM

num mortalitate, & in eum ac ejus progeniem detecta est conjuratio, cujus auctores viri illustres partim supplicio affecti, partim perpetuis carceribus damnati fuere.

Post adventum porrò hujus Regis celebratum est in Angliâ eodem adhuc anno Londini conciliabulum a ministris Anglicanis, in quo editi sunt 141. canones, quorum omnium primo confirmatus est Primatus Regis etiam in rebus Ecclesiasticis & auctoritas supremi Capitis Ecclesiæ: cæterorum autem canonum tam exiguus est valor apud Calvinistas (pro libitu suo aliis tenaciter iis adhærentibus, aliis profus adversantibus) ut verisimilius sit dicere, Babylonicæ turris structores fuisse in confusione linguarum factâ unanimes, quam Calvinistas in hoc conciliabulo in fidei & confessionis suæ Calvinianæ unionem coaluisse.

In Gallia quoque Vapinci in Delphinatu in mense Octobri celebratum est conventiculum Calvinianorum, præside Daniele Chamerio ministro Montiliensi, in quo inter alia egregii illi Theologi statuerunt, baptismum infantium a Proponentibus collatum (*Proponentes* vocant ministerii candidatos, qui in procinctu sunt, adipiscendæ manuum impositionis) nullius esse

esse valoris, ac proinde à Ministris ipsi^s reiterandum. Interuerunt in eodem conciliabulo congregati illi Patres (secundum carnem scilicet, non autem secundum spiritum Patres appellandi) Confessioni suæ hunc novum articulum: *Romanum Pontificem esse ipsissimum Antichristum*: Tam parum scientes Christum, quam Antichristum. Irritatus illorum effronti impudentiâ Henricus Rex Christianissimus, severissimè prohibuit, ne quid ejusmodi suis scriptis impudentissimi homines divulgare aut garrere præsumerent.

In Hungaria Christianus exercitus, Duce Colnatio Turcas prælio profligat, & Christiani Hatuanum recipiunt.

Moyfes Sículus Arianæ sectæ Turcarum copiis Transylvaniam occupat, & Catholicam fidem ibidem evertere conatur, sed à Georgio Basta, Cæsarianarum copiarum Duce iteratò profligatur, ac tandem interimitur.

Constantinopolitani tumultuantur, & cubicularii Mahometis tanquam auctores malæ administrationis interficiuntur; & Mahometes III. paulò post extinguitur, peste, cui Achmetes annum ætatis decimum quartum ingressus succedit.

Hoc quoque anno in Hispania mortua est

est

est pientissima femina Maria, Caroli V. Imperatoris filia, Maximiliani II. olim uxor, & Rudolphi II. ac Mathiæ Imperatorum mater.

✱(1604.)✱ Henricus IV. Rex Galliarum hoc anno Petrum Cotonum Jesuitam sibi à confessionibus & concionibus acciuit, quem filii sui instar dilexit, & ut patrem coluit, multis licet contranitentibus, nec multò post Societatem Jesu, quam (uti sæpe professus est coram testibus omni exceptione majoribus) impulsus calumniis hæreticorum & malevolorum Catholicorum ex Franciâ ejecerat, postliminiò recepit in regno & pectore, eamque sic deinceps amavit, & tantis cumulavit beneficiis, ut tam inexpectatâ tanti Principis benevolentiam & gratiam non uno tantum exilio redimendam judicarent. Hanc autem hoc anno non tantum in quatuordecim urbibus Franciæ restituit, sed & in palatio suo, & in incunabulis suis Flexiæ collocavit, ubi Collegium sic ditavit, & rebus omnibus instituit, ut nullum statutum sit in hoc regno magnificentius, & quod conditoris sui pietatem cum magnificentiam conjunctam nobilius eloquatur. Jussit insuper anno sequenti infamem illam pyramidem excitatam in areâ domus
Petri

Petri Castelli perduellis non tam ad percussoris, quam Jesuitarum innocentium ignominiam disjici, ut sic publicum exhiberet innocentiae eorum testimonium. Quod Regis æquissimi iudicium omnibus Senatûs-Consultis prævaluit: Voluitque Rex ita confringi infamem pyramidem, ut nec littera legi ultra posset.

Mauritius in Belgio dum fingit ferre suppetias Ostendæ, quam premebat graviter Ambrosius Spinola Genuensis, Dux sui temporis belli peritissimus, Slusas vicinum oppidum capit, ut jacturam Ostendæ refarciret. Dedita est ergo Ostendæ, XI. Kalend. Octobris, cum totos 39. menses tenuisset obsidio, neque jam urbs videretur, sed urbis cadaver sine domibus, ac propè sine solo. In ea obsidione 150. hominum millia periisse, uno mense quinquaginta millia globorum ex majoribus tormentis explosa esse perhibentur. Tanta fuit Belgarum in unius oppidi propugnatione & oppugnatione pertinacia.

Pax inter Anglos & Hispanos coalescit, neque tamen aliter Catholici beneficio pacis fruuntur in Angliâ, quam quòd carceribus quidem dimissi fuerint Sacerdotes, si tamen vel redirent, vel auderent de novo Sacramenta administrare, & Missam facere, multò gravius plecterentur.

Turcæ

Turcæ receperunt hoc anno Pestum atque Hatuanum, loca panico metu a præfidiariis Christianis deserta.

Stephanus Bockaius Transylvaniam invadit, & magnam ejus partem sibi appropriat, adjuncto Bethlemo Gabore contra Cæsarianos audacior effectus.

Carolo Svecico jam antè contra Sigismundum Regem legitimum electo Regi, Sveci hoc anno regnum plenariè ejusque hæredibus masculis confirmant.

✽(1605.)✽ Clemens VIII. obiit pienssimè, postquam annis 13. & 30. diebus Ecclesiam sanctissimè gubernasset, cui substitutus est Alexander Medicæus Cardinalis, dictus Leo XI Sed hoc intra paucos dies mortuo, eligitur in Pontificem Camillus Brughesius Senensis Cardinalis, dictusque est Paulus V., sub quo controversia inter Patres Societatis Jesu & Patres Dominicanos de gratiæ auxiliis & libero arbitrio sub Clemente agitari inchoata, ita composita est, ut liberum esset utrique parti, suam in scholis opinionem modestè tueri sine alterius condemnatione.

Poloni cruento utrimque prælio profli-gant Svecum ad Rigam Livoniæ.

Turcæ in Hungaria occupant Strigoniũ.
In Moschovia Demetrius frater Theo-dori

dori Ducis Moschoviæ adjutus à Polonis
folium Ducale consequitur.

In Belgio Spinola plures civitates cum
Comite Bucquoio recuperat.

In Hispania Philippus IV. nascitur.

In Transylvania Bochajus tumultuatur,
& contra Rudolphum Cæsarem arma cor-
ripit.

Hoc anno in mense Octobri tanta fuit
eclipsis solis, ut multis in locis die velut
in noctem converso, rustici & mercenarii
desertis operis fugâ in domos se recipe-
rent, & multi mortales turbatas leges na-
turæ inclamarent.

In Indiâ Orientali Rex Serræ Leænæ,
& duo ejus fratres ac quatuor liberi bap-
tizantur à Balthasare Barreira Societatis
Jesu.

In Anglia Londini detegitur conspiratio
pulveraria contra Regem & Parlamentum
inita, quâ Robertus Catesbius & Thomas
Percius Angli nobiles cum pluribus aliis,
iisq; fermè omnibus Catholicis conjurâ-
runt Regem Jacobum & plerosque Angliæ
Proceres tormentario pulvere efferre &
excutere; & extulissent, nisi, patefactis
mirabiliter eorum consiliis, Deus osten-
disset, veram sinceramque fidem non au-
geri hæreticorum sanguine, sed Catholi-
corum

corum. Inter cæteros etiam captus est Henricus Carnerus è Societate JEsu Sacerdos septuagenarius, & suffocatus atque dissectus, quod (ut ipsi rei conjurationis fassi sunt) hujus conjurationis notitiam acceperit in pœnitentiæ Sacramento; & non manifestaverit, quamvis id auctoribus omnibus modis dissuaserit. Ejus ex dissecto corpore sanguinis gutta in spicam tritici decidens ejusdem veram effigiem cum corona & cruce ad vivum miraculosè depinxit, quare à plerisque pro Martyre cultus est, utpotè quem Deus ipse tanto miraculo depinxisset.

✱(1606.)✱ Pontificem inter & rempublicam Venetam gravis exoritur lis ob quædam jura, quæ sua esse ajebat Paulus & Senatus negabat, eoque res processit ut univèrsus status Venetus subjiceretur interdicto. Impedivìt tamen Senatus ne id ex juris formulâ innotesceret, quod tamen resciri cum viri aliqui religiosi missi Romam nuncio voluissent recessere Venetiis, inter hos ad observantiam exhibendam sedi Pontificiæ excesserunt etiam Patres Societatis JEsu, propterea in illos, omiſſis aliis, editum est atrox decretum à senatu ne unquam de iis revocandis agere fas esset in senatu.

Idem

Idem Paulus V. Pontifex decreto inhi-
buit hoc anno disputationes institui & li-
bros scribere de controversia inter PP.
Dominicanos & PP. Societatis de utriusq;
partis opinione circa auxilia gratiæ, sed
eas prohibitiones Janseniani magno Ec-
clesiæ damno violavêre, atque ut confu-
tari possent, Catholicos ut idem facerent
propè nolentes coëgerunt.

Demetrius magnus Dux Moschoviæ
sub prætextu quod Polonis faveret, &
cum Pontifice ac Jesuitis de mutanda re-
ligione egisset, à suis trucidatur & in ejus
locum, quidam Basilius Joannis cogno-
mento Suiskius, subrogatur.

Anglia & Scotia vehementer pertur-
batur dum novos ritus Anglicos Rex Ja-
cobus in Scotiam vellet inducere.

In Polonia quoque hæretici in Sigis-
mundum Regem conspirant, parati eum
exauctorare, nisi quibusdam articulis val-
de absurdis subscriberet, quos tamen Rex
Magnanimus fortiter rejecit, & Ecclesiæ,
Catholicæ honorem quantum potuit pro
viribus defendit, etiam armis, quibus de-
mum ferociam perducillum compescuit &
domuit.

Moritur hoc anno Lovanii Justus Lip-
sius magnum litterarum rei que Christianæ
decus & ornamentum. 1607.

✱(1607.)✱ Lis Veneta magni momenti & quæ vergebat in schisma hoc anno ab Henrico IV. Rege Galliaë composita est per Cardinales Joyosam & Perroonium, quanquam autem peteret Joyosa & urgeret Pontifex & Henricus, ut Jesuitæ reciperentur, id tamen impetrare non potuerunt, Venetis paratis potius ejurare Pontificem & cum eo omne fœdus quam hos admittere; itaque aliquamdiu adhuc iræ & tempori cedendum fuit; & sufficiebat tunc à schismate tam illustrem rempublicam servare.

Donaverda civitas Imperii Lutheranismò infecta & nidus hæreticorum, insurgit contra Catholicos & Abbatem S. Crucis Sacerdotesque Catholicos in quadam processione valde petulanter & malè tractat, ideoque ab Imperatore proscribitur & à Maximiliano Duce Bavariæ, annuente Cæsare, occupata suâ libertate privatur.

In Polonia hæretici iterum contra Regem rebellant, iterumque vincuntur.

Carolus Svecus contra Sigismundum electus & jam inauguratus, huic etiam Livoniam eripere tentat & fœdè eam devastat. Jam tamen minùs timendus, quia hostis denunciatus, neque par fortitudine Sigismundo.

In

In Belgio jacta sunt fundamenta pacis inter Albertum & Belgicos Ordines, quando ille jussus est, ut cum his tanquam cum libera republica ageretur. Factis induciis per octo menses, quibus mirum est quam oblectati sint heterodoxi.

Denique hoc anno mortuus est anno ætatis sexagesimo nono Cæsar Cardinalis Baronius, quem Centuriatorum licentiæ & fraudibus Deus objecit, unum omnibus parem gladiatoribus Centuriatis: fuit is magnæ eruditionis, sed sanctimonix excellentioris, qui eodem ardore summum Pontificatum à se depulit, quo alii sæpe prensant.

✱(1608.)✱ Sigismundus Ragoekius Transylvaniæ spontè cedit, tot labores ac turbas pertæsus: Eamque sibi vendicat Gabriel Battorius, & quanquam piè & Catholicè educatus, defecit tamen ad hæreticos, & Turcis simul sese subjecit.

Romam ad obsequium Sedi Apostolicæ præstandum veniunt Carolus Gonzaga Dux Nivernensis nomine Henrici IV. & Legatus Regis Congi.

Pax inter Hispanos & Batavos nequit coalescere, quòd illi hos ab Indiis arcere volebant, quod tamen maximè hi intendebant. Qui etiam hoc anno Legatos recepere

cepere à Rege Sionis seu Siami potentissimo, qui bellatorum 300. millia habebat, ac bis mille elephantos, & cui quinque Reges parebant; tantæ erant jam tum Batavi apud Indos æstimationis.

Rudolphus Imp. & Mathias Archi-Dux inter se dissident, & ventum esset ad arma paratis jam utrinque copiis, nisi Legato Pontificio interveniente Rudolphus pacis amantior cessisset Archi-Duci.

Paulus V. Pontifex S. Franciscam Romanam refert ritu solenni in numerum Sanctorum, & Ordinem Equitum Sanguinis Christi à Vincentio Mantuæ Duce institutum confirmat. Ordo quoque Equitum S. Mariæ de monte Carmelo ab Henrico IV. Galliarum Rege restauratur. Hi Equites debent esse numero centum, & uxores ducere possunt, eorumque ornatus illustris est & pius, qui que semper eos admoneat de cultu B. M. V. & ejus patrocinio.

✽(1609.)✽ In Germania Protestantes bellum contra Cæsarem & Catholicos movent, seque *Correspondentes* dicunt; Catholici vicissim foedus inter se ineunt, quod *Ligam Catholicam* vocant.

Ad Instantiam Henrici IV. Galliarum Regis Patres Societatis Jesu anno p
M dente

dente Constantinopolim missi, hoc anno Galatæ stabile Collegium à Turcis accipiunt.

In Perside fides Catholica propagatur, & Rex Persarum legationem ad Pontificem Paulum V. mittit. Debeatur hic fructus Goënsi Archi-Episcopo Alexio Meneho Augustiniano, cum Ordinis ejusdem viris egregiis, quibus se Carmelitæ Discalceati conjungere.

Dux Juliacensis & Clivensis Guilielmus absque prole moritur, cujus hæreditatem prestant Marchio Brandenburgicus & Dux Neoburgensis: illum armis adjuvant Lutherani, huic Principes Catholici optulantur.

Iterum ad annos duodecim induciæ fiunt inter Batavos & Hispanos, quia pax componi non poterat.

Rex Poloniæ Sigismundus Carolum Svecum fortiter arcet à Livonia & aliquot arcibus captis sæpius profligatum victumque fatigat.

Similiter & Moschis, quos accerimos adversarios Sveco confœderatos habuit, præclarè resistit, & Schmolenskum obsidet.

Mauri conjurationis rei & pervicacis impietatis totâ Hispaniâ exesse jubentur, expul-

expulsiq̄ue sunt anno sequenti novies centena millia.

Austriacis, Bohemis, Silesiis, religionis libertas permittitur, magno Provinciarum illarum malo, uti eventus docuit.

✱(1610.)✱ Post plura hostiliter acta prætensores Ducatûs Juliacensis & Cliven- sis tandem depositis armis rem totam committunt dirimendam iudicibus delegatis, Coloniam in hunc finem convocatis.

Paulus V. in Sanctorum numerum refert S. Carolum Borromæum.

Ordo Monialium Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ à S. Francisco Salesio instituitur.

Polonis hic annus extitit felicissimus, reportatis variis de Moscho victoriis.

Philippus III. Hispaniarum Rex, rogatus suppetias à Xequo Seripho adversus fratrem suum Zidanum, accepit Lorchiam, munitissimum Africæ propugnaculum, atq̄ue Hispanis hætenus perintensum, quod satis magnis auxiliis non poterat redimi & vendicari.

Henricus Franciæ & Navarræ Rex Christianissimus dum jam à multis annis altam prudentiâ suâ ac vigilantîâ toto regno pacem conservasset, & paulò antè motus quibusdam secretis rationibus, florentissi-

mum & omnibus rebus ad magnam expeditionem instructissimum exercitum comparasset, quo metum cunctis Principibus iniecit, ignaris, quò tandem tanti apparatus moles se verteret, in ipso ferè prociñtu, postquam die 13. Maji Mariam conjugem solennibus inaugurationis ritibus ingenti pompâ apud Santdyonisium coronâ Regiâ insignivisset, dum postri die per urbem Lutetiam contemplaturus magnificentissimum apparatus, quo Reginam de more regiam urbem ingredientem excepturus esset, rhedâ vectus obambulare, à sicario perdidissimo, vili Ludimagistro Francisco Ravalliaco Inculismensi intra ipsam rhedam, ictu cultri gemino, sinistro lateri ad regionem cordis illato, perimitur 14. Maji, anno ætatis 57, regni 21. nondum absoluto. Sic periit Henricus IV. verè *Magnus* totius Orbis consensu cognominatus. Cor Regis ex ipsius olim decreto consignatum est Patribus Societatis Jesu deferendum ad Collegium Flexianum ab eo regiè fundatum, & corpus solenni pompâ ad Mausoleum Santdyonisianum. Ex percussore nihil extortum acerbissimis quæstionibus, nisi, illum insaniisse; in eum nihilominùs resinâ, plumbo, sulphure, forcipibus candentibus, equisque decus-
 fatis

fatis sævitum est : obtulerunt etiam se la-
miones Parisienses ad eum vivum excori-
andum, sic ut ei vita ad subeunda reliqua
tormenta superesset : sed laudato eorum
in Principem suum amore, pœna rejecta
est, quæ barbaros superet : Supplicium
tamen hujus instrumenti atrox & Sathanæ
tale fuit : Primò forcipibus candentibus
inustæ sunt illi mammæ, brachia, femora,
ac suræ ; manus dextera cultrum tenens
parricidii abominabile instrumentum, igne
sulphureo concremata est : in partes for-
cipibus inustas, plumbum liquefactum,
oleum fervens, ac resina accensa infusa est,
quibus peractis corpus ejus à quatuor
equis distractum, membra igne consum-
pta cum corpore, & cineres in ventum di-
persi ; bona fisco adjudicata, domus fun-
ditus everfa, parentes in exilium amanda-
ti, & nomen mutare jussi, ad perpetuam
tanti facinoris memoriam sepeliendam.

Statim parenti suo Henrico successit
Ludovicus XIII., qui deberet esse XVI.
quia qui primâ Regum stirpe Merovingiâ
tres Clodovæi regnârunt, iidem sunt Lu-
dovici, sive Hludovici, aut Hludovei apud
priscos auctores nuncupati, initio tamen
sumpto à Ludovico Pio Rege & Impera-
tore filii Caroli Magni, ut plerumque su-

mitur, hic XIII. dicendus est, qui dum patri successit, annum ætatis nonum necdum adimpleverat, unde regni administratio collata est Reginae ejus matri, donec filius adolesceret, qui interim Octobri sequenti Rhemis inauguratus & Chrismate inunctus est à Cardinale Jojeusio, qui eundem etiam baptizaverat.

Illicò post mortem Henrici, & sub initium regni Ludovici iterum cœpti sunt Jesuitæ à malevolis exagitari, & flammis addictus est Joannis Mariani liber de Rege & Regis institutione, interdictus est Roberti Cardinalis Bellarmini tractatus de potestate Romani Pontificis; sed impedita est edicti promulgatio, & de emissio edicto Romæ se Regina purgavit. Tum quoque cautum est deinceps prudenter à Societate Jesu, ne quis imposterum scribendo, libros edendo, aut theses proponendo in hos lapides impingeret. Ludovicus tamen, quidquid contra Societatem adniterentur adversarii, edicto suo Patrum innocentiae prospexit, neque passus est calumnias & invidiam adversus veritatem & scientiam prævalere.

†

SE.

SECTÆ DIVERSÆ, LUTHERI ET
CALVINI MONSTROSI ABORTUS
Circa hæc tempora in Hollan-
dia nati.

GOMMARISTÆ à Gommaro dicti, qui
in Conciliabulo Hollandico inter alios mi-
nistros convocatos anno 1608. suos quoque er-
rores propalavit: Primus fuit, posse hominem
perire defectu misericordiæ divinæ.

2. Deum solâ suâ voluntate, hoc est, nul-
lâ habitâ peccati ratione, quorundam reproba-
tionem absolutè decrevisse.

3. Jesum Christum non pro omnibus esse
mortuum.

4. Hominem non posse divinæ gratiæ resistere.

5. Eos, qui semel crediderunt, non posse suâ
culpâ & in gentibus peccatis Dei gratiâ excidere.

Hos articulos Gommarus postmodum audaciùs
proposuit in nationali synodo Dordracena, in quâ
Gommaristæ fortiores omnes Arminianos, Ar-
minii affectas, & cujus in Lugdunensi cathedra
Gommarus antecessor erat, excommunicarunt
& deposuerunt. Fuerunt sibi porrò Arminia-
ni & Gommaristæ insensissima duæ sectæ, libellis
huc illucque discurrentibus, & militibus armis,
calamis scilicet & ensibus confertis, captis utrim-
que urbibus, tumultibus magnis, præliis & in-
terneccionibus infames & detestabiles.

HADRIANISTÆ Dicti ab Hadriano Bungenfi, qui sub idem tempus aliam incedens viam (quanquam etiam dolosi Cerastis adinstar) ad Arminianos propius, quam Gommari-stas accessit, & sequentes errores sparsit.

1. Peccatum originis non esse peccatum, sed tantum occasionem peccati.
2. Magnam Dei misericordiam nihil esse, nisi solam boni occasionem, quam homines admittere possunt, aut rejicere.
3. Fidem per misericordiae virtutem esse proprium hominis opus.
4. Dei quidem praevisionem esse, Deum omnia praevidere, non operari tamen in hominibus aut personis particularibus, quas in consilio seu libero arbitrio suo reliquit.
5. Fideles aut credentes filios Dei posse in hac vita perfecte mandata Dei adimplere, licet id non praestent.
6. Posse filios Dei cadere, & gratiam ac salu-tari misericordiam excidere, & sic damnari.
7. Justificationis apud Deum causam ori-ginalem esse Jesu Christi passionem, obedi-entia tamen opera esse primam hujus justificationis originem.

CORNARTISTÆ Nomenclaturam suam acceperunt à Theodoro Cornartio, Comitiorum Hollandicorum Secretario, quo licet vitâ functo anno 1595. ejus tamen haeresis superstes latè per Hollan-

Hollandiam grassari cœpit circa hæc tempora.
Præcipuus ejus error erat in abnegando peccato
originali.

DE PSEUDO-MICHAELE THURINGIO.

IN urbe Langensalz Provinciæ Thuringicæ
Ludirectoris Langensalzensis filius fuit, & E-
zechielis Medenensis nomen sibi assumens, matrē
insuper, quæ Barbara dicebatur, mutato no-
mine, appellans Mariam de Meden, consocia-
tis sibi Isaia Christi, & Nicolao Grosbolt, unã
cum duobus pueris inusitata deliramenta pro-
mulgavit & propugnavit.

1. Se esse magnum illum Principem Michaë-
lem, aliàs Verbum Dei nuncupatum.
2. Non unum duntaxat esse Verbum DEI,
scilicet essentielle æternum & vivum, quod est
Christus JESUS, sed & alterum præterea Verbum
vocale, scriptum & prædicatum, idque nullius
esse momenti.
3. Suam, sociorumq; doctrinam sibi in som-
no tradi, occultâ revelatione Spiritus Sancti.
4. Se ipsos legem Dei perfectè adimplere, ei-
que in omnibus satisfacere.
5. Ministerii verbi officium non esse à Deo,
quando per homines peccatores exercetur.
6. Baptismum à Lutheranis administrari so-
litum esse veneficium, cum verus baptismus per
Spiritus Dei perfici debeat.

M 5

7. Filios

7. Filios suos naturâ sanctos esse, & ideo non egere Baptismo, quòd ab ipsis, qui peccati omnis expertes essent, progeniti sint.

8. Cœnam in Lutheranis Ecclesiis fieri solitam non esse veram cœnam, sed veneficium, veram autem esse eam, de qua in Apocalypsi: Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audièrit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo.

9. Ecclesiam Christianam debere in terris esse sanctam, & maculæ expertem, & quod stultissimum fuit, asseribat somniator Isaiam Christi, aliàs cognominatum Stifel, esse veram Ecclesiam illum quippè esse unicam Sponsæ Christi veram effigiem.

10. Christum in se personaliter atque essentialiter existere, seq̃, quòd esset Magnus Princeps Michaël, suo in corpore eandem carnem gerere, quam Christus in Virginis Mariæ utero sumpserat, & in qua passus sit, eâque ratione quacunque ipse faceret, Christum unâ cum ipso facere, ac se propterea absq̃ peccato esse.

11. Se cum sociis suis Pseudo-Michaëlistis propter personalem cohabitationem Christi esse immortales.

12. Nullam esse resurrectionem mortuorum, nullam vitam æternam; sibi quidem & asseclis suis Pseudo-Michaëlistis semel moriendum esse, Christum verò ipsis pollicitum esse, fore ut in suis
veris

veris corporibus vita æterna gaudio perfecte fruantur. Sic Pseudo-Michaël ille Land-salzheimensis Ludi-Magistri filius delirabat: Quod ubi Dresdense Consistorium cognovit, comprehendendi hominem, adducique jussit unà cum sociis: interrogatus autem à Consistorio, Scripturæ sacræ testimonio sese tuitus est: Demùm jubentē Presidi Consistorii, ut aliqua miracula ederet, ad conciliandam suis dictis fidem, superciliosè respondit: Generatio nequam signum quærit, & non dabitur ei. Quid de hoc phantastico Michaële tandem statutum sit, aut quò devenerit, non reperitur.

DE ARTICULIS BRANDENBURGICIS.

ANno 1614. mense Februario Elector Brandenburgensis, cum Lutheranos & Calvinistas suæ ditionis assiduis contentionibus tam ultra, quàm citra Oderam digladiari cerneret, jussit cunctos suæ ditionis ministros Evangelium deinceps juxta Confessionis Augustanæ, ejusq; apologiæ correctionem prædicare, constitutis sequentibus articulis.

1. Primus est, imagines è suis templis exterminandas.

2. Altaria demolienda, & in eorum locum die cœnæ mensas ligneas substituendas, eas quidem panno nigro, albâq; mappâ coopertas.

3. Statuas & cruces rejiciendas.

M 6

4. In

4. In locum hostiarum die cœnæ tostis panis frustulis utendum in longiora frusta dissectis, quæ in pelvi, discovæ majori cœnam suscepturis offerantur: hi verò panem suis manibus sumant, frangant & comedant.
5. In cœnâ calicibus utendum non esse, sed pateris & scyphis.
6. Nullas preces ante collectam fundendas esse.
7. Superpelliceis utendum non esse,
8. Neq; candelis.
9. Nullum linteum aut umbellam iis, qui se ad sumendam cœnam offerrent, superponendam.
10. Cœnam sumentibus nequaquam flectenda esse genua, tametsi in ea Christus existeret.
11. Nullum crucis signum post benedictionem faciendum.
12. Terga ministris minimè vertenda.
13. Nec preces, nec Epistolas cani debere, sed legi. (rem.)
14. Abjiciendam esse confessionem auriculari.
15. Dum nomen JESU profertur, nec genua flectendum, nec caput aperiendum esse.
16. Preces altâ voce, & non submissâ fundendas esse.
17. Cœnam ægrotis minimè tribuendam esse, præsertim tempore pestis, ob periculum, quod deferenti imminere potest.
18. Amovendos è templis fontes baptismalis, &

Et in eorum locum subroganda esse vasa manibus abluendis apposita.

19. Nullum in templis epitaphium tolerandum, Et nullam Crucifixi imaginem.

20. Reformandum esse Decalogum ac Catechismum

21. SS. Trinitatem nec sculpturam, nec picturam planam representandam esse.

22. Verba cœnæ rectè exponi, intelligique debere.

23. Solitam diebus Dominicis Epistolarum Et Evangeliorum lectionem Et explicationem abrogandam, legendum verò aliquem Bibliorum textum, Et de eo prædicandum esse.

Voluit quidem Brandenburgicus his articulis veluti nodo Gordio unionis Lutheranos Et Calvinianos suæ ditionis conjungere perpetuo nexu concordie, sed quo eventu id fecerit, docuit tumultus ille, qui Dominicam Ramorum anni sequentis in Berlinensi urbe Brandenburgici Electoris Princeps contigit, ubi Lutherani ad lapides concurrerunt, Et Calvinianorum Theologorum tum vitreas, tum ligneas fenestras tanto furore confregerunt, ut Gregorius Marchio Brandenburgensis, absente Electore, cum ad pacandam seditionem ex arce descendisset, non modò operam perdidit, sed etiam relictis decem ex suis trucidatis retrogredi compulsus fuerit. Plebs verò Lutherana in eorundem Calvinianorum

Theologorum Domos irrumpens libros dilaceravit, & suppellectilem expilavit. Nimirum hi sunt fructus unionis quæsitæ extra Ecclesiam sub uno Capite.

DE PSEUDO-PROPHETA INDIARUM OCCIDENTALIUM.

Eo ascenderat nebulonis hujus superbia, ut se Deum terræ, & à Deo cæli missum proclamaret, omnemq; suis sectatoribus impunitatem ac protectionem adversus Christianos promitteret. Suum ipse venenum atrocissimum post annos paucos, nimirum anno 1616. in octo Societatis Jesu Religiosos evomuit, quos illis in regionibus ab ethnicis necandos curavit.

DE BRUNISTIS ET BROCHTUNISTIS.

Vigebat circa hæc tempora in Hollandiâ hæc secta à Bruno Calvinistâ ortum & nomen sortita. Brochtunistarum autem secta fuit una ex præcipuis sectis, in quas Calvinismus in Hollandia sectus est: nimirum Calvinio-Papistarum, Puritanorum, Brunistarum, Brochtunistarum Gommaristarum & Arminianorum, quæ omnes ex diversis hæresibus consarcinatam Confessionem præferebant, & hoc solo concordēs, quod veram Catholicam Ecclesiam oppugnarent, sagittis parvulorum ferientes & arietantes, cætera sibi invicem inimicissime.

* * *

DE-



DECAS II.

✽ (*Ab anno Christi 1610. ad 1620.*) ✽

ANNO 1611. Sigismundus Rex Poloniæ Smolenskum biennali obsidione expugnat, & victor in Poloniam redit, Moschoviam mox repetiturus cum filio Uladislao, quem Moschorum plurimi Ducem suum esse exoptabant.

In Sveciâ quoque multi Proceres, mortuo Carolo, raptore illius regni, ad eundem Sigismundum respectant, sed prævaluerunt alii, qui Gustavum Adolphum, filium Caroli patri substituerunt.

Mathias Archi-Dux, concessâ Hungaris libertate exercitii A catholici, ab iisdem Rex Hungariæ acclamatur, & consensu postea Imperatoris coronatur.

Parisiis inchoatur Ordo sacrarum Virginum S. Ursulæ ad puellas instituendas.

✽ (1612.) ✽ Rudolphus II. Imperator cum imperium tenuisset ab obitu Maximiliani Patris annis 35 menses tres moritur vigesimo Januarii Pragæ, ubi se diutius detinuit, bellicis curis & civilibus ob valetudinem impar; In cuius locum Electores

Electores

Electores Francofurti convenientes 13. die Junii nominant Mathiam Rudolphi fratrem, Regem Hungariæ & Bohemiæ, qui 24. ejusdem mensis coronatus aulam sedis Cæsareæ Pragâ Viennam Austriæ transfudit.

Gallia & Hispania novo fœdere junguntur conjugii gemini, nempe Ludovici Regis Christianissimi cum Anna Mariæ Mauritii primogenita Philippi Regis Catholici & Philippi Principis Hispaniarum cum Elisabetha Sorore Regis Christianissimi: missi utrimque legati, & ludi solennes peracti, ipsæ tamen nuptiæ ob minorem partium ætatem dilatæ sunt.

Fridericus Comes Palatinus futurus Imperii Elector mense Novembri venit in Angliam ad conjugium cum filia Regis majoris Britanniæ ineundum, cujus Regis filius major natus Henricus Walliæ Princeps exeunte anno inopinâ morte translatus est; Nuptiæ verò Palatini in Februariò celebratæ sunt.

Ordines Batavici cum Achmete Turcarum Imperatore fœdus sanciant Constantinopoli. Iidem iterum nunc navigationem tentant ad Sinas per plagam Poli Arctici Borealem, Roëslino Duce, sed partim longâ nocte, partim concreto glacie
Ocea.

Oceano repelluntur, magnam suorum ja-
turam perpeffi.

In Transylvania graves turbæ ab An-
drea Giezio excitantur, qui Principatum
sibi ab Achmete contra Battorium Impe-
travit, Battorio interea sub Mathiæ Cæ-
saris tutelam confugiente, ab eoque auxi-
lia postulante.

✱(1613.)✱ In Anglia triremes Hispa-
niæ & Ducis Hetruriæ, excursione in A-
siam minorem factâ, multas clades Turcis
inferunt, multosque Christianos captivos
eliberant.

Cosacci variis modis Turcas infestant.

Danus victoriæ suæ cursum contra
Svecos promovere ab acerbissima peste in
ejus exercitu grassante prohibetur.

Gabriel Battorius à Gabriele Bethleemo
ope Turcarum profligatus ex improvise
trucidatur. Sigismundus autem Batto-
rius quondam Transylvaniae Princeps
post sæpius depositum, & sæpius magnâ
animi levitate resumptum Principatum
tandem Pragæ apoplexia moritur.

In Anglia nuptiæ Friderici Comitæ Pa-
latini cum filia Jacobi IV. Regis magnâ
pompâ & magno gaudio Calvinistarum
celebrantur: ex his enim nuptiis ingen-
tem spem conceperunt suæ sectæ per Ger-
maniam dilatandæ.

1614.

✱(1614.)✱ Die 25. Maji Augustissimæ Trinitati sacro Serenissimus Princeps Wolfgangus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni, Dux Baviaræ, Juliarum, Cliviarum, Montium, &c. Duffeldorpii superatis propè innumeris atque gravissimis obstaculis Lutheranâ hæresim abjuravit, fidemque Catholicam maximâ solennitate professus est, in manibus R. d. n. Colonienfis Suffraganei, in templo Parochiali, in quo Decanus Duffeldorpiensis è concione exposuit motiva seu fundamenta conversionis sui Principis ab ipso Principe sibi tradita: qui deinde unâ cum Serenissima conjugè ante summum Altare piè valde ac religiosè communicavit. Tum ante mensam convocatis omnibus suæ aulæ hæreticis altâ constantique voce adhortationem habuit, quâ illos ad sui imitationem invitavit, factâ singulis potestate, alteri si mallent deinceps serviendi, datoque ad deliberandum octiduo. Horâ verò tertia pomeridiana, Vespertinis precibus ambo interfuerunt, eisque absolutis, ante summum Altare sacrosanctum Confirmationis Sacramentum Dux à Reverendissimo Suffraganeo accepit, audivitque concionem, quam R. P. Jacobus Reihing S. J. de veræ Ecclesiæ signis habuit. Mox tamen inter Branden-
burgi-

burgicam & Neoburgicam ratione Ducatus Clivæ & Montium augentur dissensiones, huic favente, eumque armis juvante Archi-Duce Leopoldo, Duce Spinola: illi autem confœderatis Belgii opitulantis Duce Mauritio, magnis utrinque copiis instructis fautoribus.

In Gallia motus civiles concitantur, quorum prætextus fuit, quòd Concinus Florentinus factus Galliæ Mareschallus, & uxor ejus Eleonora Regina collactanea in aula nimis potentes, neque Procerum atque Principum satis reverentes essent. Itaque secessionem ab aulâ tum fecerunt, Principes, Condæus, & Duces Vindociensis ac Nivernensis, Meduanus & Mareschallus Bullionius, qui primùm scriptis, mox etiam armis repugnare. Verùm pacem Rex præelegit, qui Principibus reconciliandis omnem operam impendit, & quia Rex tunc annorum 14. regni administrationem susceperat, Comitia Parisiis indicta & celebrata sunt à regni Proceribus. In his Comitibus multa proposita contra præposterâ regni administrationem. Facta etiam est propositio à plebejo, seu, ut vocant, tertio Ordine, de auctoritate summi Pontificis, sed hæc propositio à Clero & nobilitate, adnitente potissimùm Cardinali Perre-

Perre-

Perronio, qui eloquentissimè contrà peroravit, repudiata est. Deniq; anno sequenti absoluta sunt Comitia sine fructu, in quib⁹ multa congesta, sed pauca emendata sunt.

Aquisgranum ob tumultus excitatos ab hæreticis contra Catholicos à Cæsare pro scribitur, & à Spinola occupatur, multat^{is} tumultuum auctoribus.

In Japonia instigantibus Anglis & Batavis Cubo Japoniæ Imper: dirissimam in Christianos Catholicos persecutionem instituit.

Favet hic annus Polonis, qui unâ æstate tres exercitus Moschovitarū profligârunt.

Cosacci Thraciam & Nagajensem Tartariam depopulantur, Bythiniam & Paphlagoniam vastant, Trapezuntum cum portu, armamentario, & 27. navibus ever-
tunt: Sinopem incendunt.

Francofurti seditio inter cives concitata, auctoritate Cæsaris componitur.

✽(1615.)✽ Achmetes Imperator Turcarum cum Mathia Cæsare 20. annorum inducias paciscitur.

Duæ celebres hoc anno Romæ susceptæ sunt legationes, una remotior ab Idiale Rege Voxu ex Japonia, & altera propinquior à Ludovico XIII. Galliæ Rege. Allatæ etiam sunt Romæ litteræ Gabrielis Episcopi Gangriensis, in Paphlagonia,
Pri-

Primatum Romani Pontificis agnoscentis.

Mortuo Claudio Aquavivâ Societatis Jesu præposito Generali facta est Generalis Patrum congregatio cui interfuerunt Mexicani, Peruani, Malabarici & ex Goanâ India & ex Regia Sinensi, qui in demortui locum elegerunt Mutium Vitellescum ex nobili familia Romana omnium dignissimum jure merito æstimatum.

Ludovicus XIII. Rex Galliaë iter ingreditur ad excipiendam sponsam suam Annam filiam Regis Hispaniaë, & deducendam sororem Elisabetham, ad Philippum Principem. Septembri mense venit Burdegalam, eodem deinde die eademque hora ex condicto Dux Lermæus Regis Ludovici mandato, Burgis in Hispania cum Anna, & Dux Guisus Philippi Principis nomine Burdegalæ cum Elisabetha publicè in Ecclesia connubiales cæremonias ministerio sacrorum Antistitum adimplerunt: Inde Guisus Elisabetham ad limites regni ducens consignavit Hispanis & acceptam ab iis Annam (quam Rex ipse Philippus ejus parens, unicè sibi dilectam, ad ipsos etiam regni limites Comitatus fuerat) Burdegalam ad Regem deducit.

Moritur ad finem Martii Parisiis Regina Margarita Valesia, in qua Valesiorum stirps

stirps Regia penitus extincta est, quæ in Henrico III. regnare desierat, anno 1589. cum in Philippo Valesio cœpisset anno 1328. Hæc porrò Margaritha ab Henrico IV. cui invita nuptiis illegitimis conjuncta fuerat, annuente Pontifice separata, retinuit nihilominus utcunq̃ue Reginæ insignia & nomen, quibus & se filiam Regis, & sororem trium Regum, & Regis uxorem meminisset.

Mense Julio in Generali Conventu Cleri Gallicani Parisiis habito, omnium unanimi consensu Concilium Oecomenicum Tridentinum recipitur, & omnes se illud observaturos promittunt, & jurant.

✱(1616.)✱ Uscochis populis Croatiae partis ad Ferdinandum Archi-Ducem Austriae pertinentis latrocinia terrâ & mari exercentibus, Veneti quorum commercia gravia incommoda patiebantur, conquesti apud Ferdinandum de Piratis hisce tam molestis, cum non cessarent ab his malis inferendis, ipsi armatâ manu Ferdinandi ditionem invaserunt & clades claudibus fortiter reposuerunt, magno belli incendio exoriente & provincias depopulante.

Batavi numeratâ pecuniâ Flissingam, & alias arces traditas Elisabethæ pro subsidiiis

fidii, recuperant à Jacobo Rege Angliæ.

Fatalis hic annus Turcis fuit, nam in mari Mediterraneo cæsi sunt ab Hispanis seorsim, & iterum à Florentinis ac Melitenfibus junctim, in Asia à Persis, in Mæotide à Cosaccis.

In Hungaria Petrus Patzmanni è Societate Jesu fit Archi-Episcopus Strigoniensis & S. R. E. Cardinalis, qui sua auctoritate & doctrina majorem partem Magnatum Regni ad fidem Catholicam reducit.

Tertium civile bellum oritur in Francia Principes inter & Regem adnitente potissimum Concino, qui tum omnia poterat in aula; datus est Henricus Condæus Partium caput in custodiam, primùm in Regio Palatio, deinde in Bastilia. Capto Condæo, qui cum eo faciebant, secesserunt & Rex in eos bellum decrevit.

✱(1617.)✱ Ludovicus XIII. Galliæ Rex edicto jubet in Provincia Benevensi libertatem Catholicæ religionis, & restitutionem bonorum Ecclesiasticorum ante quinquaginta annos ereptorum, & mandat toto regno pecuniam colligi ad Terræ sanctæ subsidium.

Mathias Imperator, cum prole careret, adoptat in filium & hæredem Ferdinandum Archi-Ducem. Erat

Erat autem Ferdinandus adoptionis beneficio dignissimus, filius natus maximus Caroli Archiducis, fratris Maximiliani secundi Imperatoris, cuius illi erant filii. Itaque cum consensu Maximiliani & Alberti fratrum Imperatoris, qui & ipsi prole carebant, hunc Ferdinandum legitimè adoptatum statuum suorum hæredem & successorem instituit, qui hoc anno in Comitibus Bohemicis, præsentibus eisdem, Mathia Imperatore & Maximiliano ejus germano, remque promoventibus, electus est Rex, & successor Bohemiæ, eâ tamen lege ut administrationi regni quam diu viveret Imperator Mathias non se immisceret, nisi de consensu Imperatoris & Ordinum regni. Coronatus est die 29. Junii in festo SS. Apostolorum Petri & Pauli: Post quæ iidem, Mathias Imperator, Maximilianus & Ferdinandus Dresdam profecti sunt, Georgium Saxonie Electorem visitaturi, ubi magnificentissimè excepti sunt.

Rex Ludovicus XIII. Principes ac Proceres confœderatos qui à Rege secesserant & arma moverant, proscribit, armisque persequitur: & quia potissimæ criminationes à plurimis deponerentur apud Regem contra Concinum Florentinum Marschallum Franciæ (cujus summa po-
tentia

tentia Confederatis fuit prætextus diffidiorum) jussit illum in regia detineri cum de more ad illam accederet, qui tamen non captus, sed cum capiendus esset, & omnibus modis resisteret, in ipso Regiæ aditu à satellitibus regni occisus est; cujus necem etsi non imperatam, cum tamen Rex approbasset, Reginamque matrem, (cujus favore potentia Concini subsistere dicebatur, eò quòd Concini uxor fuisset, collatanea Regiæ, ipsique charissima) tantisper dum omnia pacarentur Blesas secedere rogasset, continuo Principes confederati ad ipsum redierunt, veniam sumptorum absque Regia licentia armorum deprecantes. Corpus Concini post sepulturam à plebe exhumatum, fædè lacertum, ac combustum est. Conjux autem diversorum & ipsa criminum accusata, senatus decreto capite plexa, corpus igne crematum, & sic toti Regno tranquillitas restituta est, detento tamen adhuc Principe Condæo in custodia.

Moritur Achmetes Turcarum Imperator succedente eidem Osmane filio.

Abassus Persarum Rex aliquot Christianos Principes ad suum Mahumetem frustra pertrahere conatur, ideo per insidias illos è medio tollit, aliis autem vitam servavit

N

vavit

vavit, qui hanc Deo & religioni prætulerunt. Inter Principes enituit Catharina Christiana, quæ per tormenta martyribus debitam palmam promeruit.

In Hollandia graves ex more de religione motus concitantur inter Gomarianos & Arminianos, quorum illi *Demonstrantes*, & hi *Contrademonstrantes* nuncupati sunt.

Instituitur Ordo fratrum Misericordiæ à Joanne Dei.

Reges Daniæ & Sveciæ in regnorum limitibus conveniunt, fœdus defensivum ineuntes adversus Regem Poloniæ, legitimum Sveciæ Regem. Idem postea Svecus etiam cum electo, adversus filium Regis Poloniæ, schismatico Moschoviæ Duce, pacem componit. Denique Sveci Livoniam invadentes post aliquot loca occupata à Polonis cæduntur.

Turcæ in mari Mediterraneo 19. naves quæ tributum ex Ægypto Constantino-polim vehebant, mari haustas maximo damno amittunt.

Paulus Pontifex jubilæum hoc anno præ promulgat, ad Dei iram placandam, & gratias ejus obtinendas.

Econtra Joannes Georgius Saxo Elector Lutheranus ipse quoque Jubilæum, velut

velut Antipapa, indicit, quia tum annus centesimus à Lutheri apostasiâ defluxerat, curavitque cudendam monetam auream & argenteam cum hac epigraphe: *Sæculum Lutheranum 1617.* quod computationibus & commestationibus potissimum, & non bonis operibus celebratum est: Neque, puduit Lutheranos hoc jubilæo sectæ suæ novitatem profiteri ridentibus Catholicis.

✽(1618.)✽ Pax inter Ferdinandum & Venetos constituitur, & idem Ferdinandus, sollicitante Mathiâ Imperatore, Rex etiam Hungariæ in Comitibus Poloniensibus coronatur, iisdem conditionibus, quibus fuerat antea Rex Bohemiæ creatus.

Turcæ & Persæ magnis animis ac copiis ad Ardavillam congregiuntur, & atroci prælio configunt, ut in eo utrimque octuaginta millia ceciderint, penes Persas stante victoriâ; quâ tamen minimè elati & feroces effecti Turcis pacem obtulerunt & iniêrunt.

Pragæ in Bohemia mense Majo Comitibus habitis à Statibus hæreticis, prætextu conservandæ suæ religionis, armis invasi Consilarii & Magistratus Imperatoris per fenestras arcis 40. cubitis altas præcipites dantur (qui tamen magno miraculo incolumes omnes evaserunt) hæc maximè ope-

rante Comite Turiensi, qui cives Pragen-
ses directoribus regni mox institutis jura-
mento obstrinxit: Patres Societatis Jesu
urbe ejecit, vicinas Provincias Moraviæ,
Silesiæ, Lutetiæ ad eandem defectionem
sollicitavit, & exercitum colligere cœpit.
Quibus auditis Imperator postquam lit-
teris ac monitionibus nihil apud rebelles
effecit - exercitum in Bohemiam inmisit:
Varia posthæc inita sunt prælia, captas
utrimque oppida, prædæ actæ, Comi-
tibus Bucquojo & Dampieno impigre
agentibus rem pro Imperatore, Mansfel-
dio notho & Turiensi pro Statibus, lon-
gè quidem numero militum undique ad
rebelles confluentium superioribus, ple-
rumque tamen pugna inferioribus.

Hoc anno obiit Archi-Dux Austriæ
Maximilianus, Mathiæ Cæsaris frater se-
xagenarius, cum paulò antè Clefelium Vi-
ennensem Episcopum, Cardinalem, qui
hactenus cuncta Domûs Austriacæ nego-
tia summâ industriâ administraverat, ob
suspiciones quasdam Viennæ custodiæ
mancipasset, & captum ad Tyrolensem re-
gionem abduci curasset, re Pontifici pro-
tinùs manifestatâ. Propter quam capti-
vitatem majores Romæ tumultus fuere,
quàm in Germania propter mortem Ma-
ximiliani. In

In Hollandia inter Calvinianos gravissimæ discordiæ de religione sæviunt, quæ etiam in functiones politicas & divisiones, & in militum delectus ac hostiles oppugnationes eruperunt, quibus compescendis omnes vires Mauritio impendendæ erant, hinc Arminianis, inde Gommarianis hæresin suam ferociter zelantibus.

In Rhætia quoque, sive apud Grifones turbæ excitantur, dum quidam specie avertendæ nonnullorum tyrannidis, qui statum Democraticum abrogatum vellent, in favorem Hispanorum, majorem ipsi sibi in populum suspicacem, auctoritatem usurpant, armatoque populo in patriæ perniciem, ac Catholicæ religionis, multos supplicio plectunt, & inter alios Episcopum Sundrensem crudelissimâ torturâ necant, atque Episcopum Curiensem perpetuo exilio damnant, cum tamen conventibus aliquot habitis contestati fuerint, nullam se vim religioni illatam velle. In eorundem Grifonum montanâ regione 4. Septembris, terræ motu facto, mons quidam imminens oppido Pluravio sub crepusculum vespertinum totum oppidum momento cum omnibus incolis, (fuerunt autem civium incolarum tria & amplius millia) cum duabus Ecclesiis &

aliquot cœnobiis ita obruit, ut ne vestigium conspiciendum reliquerit.

Venetis ob suspicionem conjurationis in urbem multi Galli, & non pauci Hispani supplicio afficiuntur.

Parisiis Ludovicus XIII. Patres Societatis Jesu, post habitis omnibus quibuscunque, & quorumcunque contradictionibus, plenissime restituit, & sancit, ut publicas imposterum Parisiis lectiones habere possint, quod hætenus Sorbonici præcipue impediabant.

Mense Novembri apparuit Cometes prolixâ admodum caudâ formidabilis. Constantinopoli idem Cometes visus est sub specie acinacis, quid autem præcinerit, adhuc sentimus & lugemus, ab hoc enim tempore Europa in armis & in luctu est.

(1619.) In Bohemia rebelles hæretici omnia cædibus, rapinis & incendiis miscunt & vastant ac Catholicos super modum persequuntur, quos proinde Imperator Mathias armis appetit, sed morte præoccupatur inter has turbas, 13. Kal. Aprilis, anno ætatis 62. Imperii sexto, & mensibus novem: regni Hungariæ 12. & Bohemiæ 9. & eodem adhuc anno Ferdinandus II. Archi-Dux Austriæ, Rex Hungariæ

riæ & Bohemiæ Francofurti eligitur ac coronatur, quantumcunque Bohemi hanc electionem impedire conati sunt protestationibus suis & querelis in Comitibus Imperialibus frustra expositis. Hi verò, crescente jam audaciâ & hæreticorum promissis corroboratâ, in Regem sibi eligunt Fridericum Palatinum Rheni Electorem, Regis Angliæ generum, qui, stimulante Elisabethâ conjuge (ut quæ filia Regis erat, Rege quoque marito gauderet) regnum acceptavit, & mox 14. Novembris Pragæ coronatus est in tumultuario confessu, regiamque coronam uxori suæ Elisabethæ imponendam curavit, alteram mox coronam Hungariæ Bohemicæ additurus. Sed compulsus est brevî, quæ spe nimis præproperè devoraverat, duo regna revomere, & infelix Elisabetha nec Regina fuit, nec Palatina permansit.

Interea Gabriel Bethleemus Transylvaniæ Princeps cum rebellibus Bohemis confederatus, in Ferdinandum insurgens, in Hungariam irrupit, ac crudelissimè in Catholicos sæviit, diadema etiam, quod Possonii (sive Presburgi) reperit, sibi imposuit.

Habentur conventus Principum Protestantium Norinbergæ, & Catholicorum

Würtzeburgi, & utrobique agitur de modis res suas provehendi, & quam quisque profitetur religionem conservandi ac propugnandi.

Rex Galliarum Ludovicus Reginae matri, quam Blesis regio quidem cultu, exulem tamen detinebat, reconciliatur, & Condæum à carcere dimissum in gratiam recipit, paratus, uti jam ejus consiliis & prudentiâ, quam sibi longo otio & diuturnâ codicum lectione comparârat, carcerem in musæum & scientiarum æquè ac patientiæ gymnasium convertens.

Habita est hoc anno in Belgio famosa illa Dordracena Synodus excitis ex Germania, Anglia, & Belgio ministris (quò minus autem venirent etiam Franci, Rex inhibuit) in hoc conciliabulo mirum est, quàm Gommariani, & Arminiani sese laceraverint, & illa tandem secta prævaluit, quia sic Arausicanus peroptabat, non jam armorum tantum, sed etiam religionis arbiter. Arminiani expulsi sunt Belgio, eorumque præcipuus fautor Barnefeldius, uti seditiosus capite mulctatus 3. Idus Majas Hagæ; Hugo Crocius carcerem & paratam sibi mortem, uxoris suæ astutiâ defugit.

✠(1620.)✠ Imperator Ferdinandus
Fri.

Fridericum Palatinum & illi adhærentes
proscribit, & per Buquoium Moraviam,
per Saxonem Silesiam recuperat, per Hi-
spanos, Duce Ambrosio Spinolâ, inferio-
ris Palatinatûs urbes capit; Gabriel Beth-
leemus ab aliquibus proclamatus Hunga-
riæ Rex ditiones Austriacas incurfat, &
auxilia mittit Palatino Dampirius, Poso-
nium tentans, quod Bethlemus Gabor
jam tenuerat, occiditur.

Poloni in Walachia & Moldavia primò
victores, deinde victi & à Turcis & à Tar-
tari Præcopensibus profligantur.

Vallis Telina jugum hæreticorum ex-
cutit. cæsis & depulsis eorum fautoribus
implorato ad hoc Feriæ Ducis auxilio,
qui sic opem illis tulit, ut ex servis Griso-
num faceret Catholicos subditos Hispano-
rum, ubiq; munitissimis arcibus collocatis.

Iterum motibus agitatur Gallia: cùm
Luinei, apud Regem auctoritatis occa-
sione sive prætextu, aliisque privatis
inter Principes invidiis ac dissidiis, plu-
rimi Principes ac Proceres à Rege secesse-
runt ad Reginam ejus matrem, specie eam
adversus insidias malevolorum tuendi: sed
præveniens Rex mirâ prudentiâ & celeri-
tate ac fideli Condæi Principis obsequio
eorum conatus, antequam omnes copias
colle-

colleatas haberent, captâ Cadomâ urbem Northmanniæ munitissimâ, post aliquot dierum obsidionem, plerasque alias ad deditonem spontaneam redegit, & ad Pontem Cæsaris prope Andegavos fuis Reginæ copiis, aded Principes arctavit, ut coacti fuerint veniam petere, & die 13. Augusti accedentem ad se Brissacum Reginam amabilissimè excepit, & quodcumque voluit, humanissimè concessit; Inde Rex confestim in Aquitaniam pergens, cum nullis unquam hortationibus & mandatis obstinatissima ministrorum & Magistratum Bearnensium corda flectere potuisset ad exequendum jam anno 1617. promulgatum edictum de restitutione bonorum Ecclesiasticorum, illuc cum modicis copiis adveniens, mense Octobri tandem evicit; attonitis hæreticis ad incogitatum ejus adventum, quem omnimodis artibus impedire conati fuerant, intra quinque dies rebus ita prospexit, ut præfidia ubique multarit, templa Catholicis, bona Ecclesiasticis, & Ecclesiasticos pristinis honoribus restituerit: Provinciam antè libero domini jure gaudentem, Coronæ Francicæ adjunxerit, & Senatam, novis consiliariis Catholicis auctum, in Parlamentum erexerit, atque his feliciter per-

peractis ad Reginas, matrem & conjugem Lutetiam victor & triumphans rediit, frementibus hæreticis, & omnes modos meditantibus, ut incruentam hanc cladem regni everfione compensarent; ideo nullis monitionibus & mandatis deterriti, nationalem ex omnibus Galliæ Provinciis Synodum Rupellam convocaverunt.

Turcarum classis Monfredoniam urbem in Apulia diripit, & plurimos Christianos captivos abducit.

Sigismundus Rex Warfaviæ à nobili Polono in ingressu Ecclesiæ securi graviter vulneratur.

Die 8. Novembris, quæ fuit octava omnium Sanctorum, & illa ipsa dies Dominica 22. post Pentecosten, quâ recitatur in officio divino Evangelium: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris*: Dux Bavarus Maximilianus Cæsaris & Catholici in Germania Duxor exercitus cum Bucquojo junctis copiis propè Septum, cui *Stella* nomen est, cum Electoris Palatini exercitu ex Anglis, Batavis, Germanis & Bohemis conflato, atroce & felici pugnâ confliat, ut partim cæsis, partim fugatis, partim victorum arbitrio deditis Palatini militibus, insignem Cæsari victoriam & Catholicis maximæ lætitiæ messem, sibi quæ & omnibus

Ducibus immortale nomen comparaverit. Pugnæ initium datum est circa meridiem inter duodecimam & primam diei horam, sub tessera militari: S. MARIA: cujus effigiem quoque Dux in vexillo suo peculiari & maximo præferebat. Ubi utriusque in mutuam conspectum venere, factum est conflictus initium tormentis majoribus cum horrendo sonitu, secutus deinde legionum, alarumque congressus acerrimus, ita ut initio visa sit dubitare victoria, utrorum partes sequeretur, cum neutra pars alteri cederet, sed per dimidiam horam legio legioni mixta constanter præliaretur, imò videbatur jam Cæsariana acies a dextro cornu vacillare, cum Christianus Anhaltinus junior, qui pro patre suo equitum Bohemicorum sive Palatinorum alæ Præfectus erat, tam validè in Bucquojanum, equitatum irruit, ut hic confusus signis referre pedem cogeretur, quâ equitum trepidatione animadversâ, peditum legiones jam pariter deserere signa & referre pedem cœperunt, quo periculo conspecto Tillius opportunè succurrens cum quingentis equitibus, Duce Cratzio, Anhaltinos tantâ vi & impetu adortus, ut & Cæsariani in pugnandi ardore & robore denudò animarentur, & perturbati Anhaltini

haltini consistere ultra non possent, præfertim cum ipse juvenis Anhaltinus prolapsus jam equo, & pluribus vulneribus faucibus captivum se demum dedere coactus fuisset. Erant in Bohemorum acie novem circiter Hungarorum millia, hi contra Cossacos pugnare jussi a Palatino, cum magnas prædas collegissent, fugere sub ipsum pugnae initium, & sua conservare spolia, quam pugnare maluerunt; qui cum scelerate pedites deseruissent, eos quoque unam secum in fugam abripuerunt. Superatis quoque à Bucquojo quibusdam munitis, universa demum acies Bohemica, cum hactenus fluctuasset, jam in non dubiam fugam compulsa & profligata est, relictis tormentis majoribus, signis militibus tam pedestribus, quam equestribus centum, & magnam prædam, quam Catholica loca, monasteria & Ecclesias expilando & diripiendo collegerant. Multa millia in pugnae ardore interfecti ex Palatinis, plurimi in transitu Moldaviae fluvii submersi, multi fugam dispersi & dilapsi, multi etiam præcipui Duces capti, ex Cæsarianis autem nonnisi trecentis desideratis: Hac victoriâ dedita est Praga, Bohemia subjugata, reducta Moravia, Silesia repressa, Germania facta est sui juris, ac verè

ac verè Catholica, Palatinus autem ex hac suorum strage tantùm timoris hausit, ut relictis in arce Pragensi octo curribus pretiosâ & argenteâ, aureâque supellectile oneratis, qui in Cæsarianorum manus cum aliis mille octingentis curribus oneratis venerunt, imò etiam Anglicani Ordinis Periscelide, quam Palatinus gestabat, amissâ & in aperto campo postea inventâ, cum solâ uxore & liberis celerrimâ fugâ in Silesiam sese proripuerit, tolutariis Anglicanis usus, Hohenloio & Turræo Comitibus indecoræ fugæ sociis assumptis, & ex hoc tempore nunquam Palatinus quamvis cætera magnanimus & audax metum deposuisse fertur, postquam hoc uno conflictu perdidit victoriam & spem simul omnem alienæ ditionis invadendæ & suæ quoque dignitatis recuperandæ.

Qui prælio huic interfuerunt, testati sunt, duabus circiter horis ante conflictum adeo trepidatum fuisse in Bohemorum castris, ut multi existimârint, terram tunc tremuisse, & montes vicinos inhorruisse. Fuerunt etiam in hostili acie, qui falsi sunt unanimi ore, se, cum aliquamdiu feliciter primò pugnâssent, nova castra, novumque exercitum conspicatos fuisse, de quibus nemo quicquam sciverit, atque inde

de & equos & viros timore quodam correptos trepidâsse.

In hac victoria memorabile etiam illud est, quod P. Dominicus à Jesu Maria Hispanus discalceatus Carmelita, vir insignis pietate & miraculorum famâ conspicuus, ipso prælii die Catholicorum aciem ad fortiter pugnandum pro Deo & Ecclesia animaverit exhibitione imaginis inter Straconizenses ruinas repertæ, cui hæretici oculos effoderant, in cujus sceleris vindictam Catholicos ardentissimâ oratione excitavit: quam imaginem etiam ipse inter confligendum erexit in acie, quæ anno 1622. in Ecclesia RR. PP. Carmelitarum discalceatorum solenni ritu collocata est, indito nomine, *S. Mariæ de Victoria*. Milites quoque victores agnoverunt opitulatricem suam, & Virginis Deiparæ cultu & auxilio fretos miro quodam ardore pugnandi sese accensos fuisse contestati sunt, & grates persolverunt.

Obtentâ hac victoriâ Duces Catholici Pragam postridie ingressi sunt triumphantes, & universa Bohemia è vestigio ad obsequium Imperatoris rediit, & præcipui auctores rebellionis captivi ducti, qui po-

stea jussu Imperatoris promeritis suppliciis affecti sunt.

DE

DE MARCO ANTONIO DE DOMINIS APOSTATA.

Hic inferni titio ex malo religioso (fuit enim Societatis JESU, & inde dimissus) procurante apud Rudolphum Imperatorem avunculo, factus Episcopus Segnensis, ac Spalatrensis Archi-Episcopus in Dalmatia Venetis subdita, ubi illum avaritiæ aliorumque vitiorum eluvies tum Suffraganeis, tam aliis primoribus multis adeo infestum reddidit, ut re ad summi Pontificis aures delatâ dum sibi ab inquisitione metuit, cum de emendatione cogitare deberet, trajectâ Germaniâ & Hollandiâ in Angliam profugerit, ubi librum edidit innumeris erroribus refertum, inter quos quinquaginta turpissima hæreses numeratæ sunt & à Parisiensi Sorbona notata: quem tractatum postea refutavit doctissime P. Martinus Becanus Societatis JESU, & P. Zacharias Boverius Capuccinus sua egregia Paranesi. Videtur autem hic M. Antonius neque Lutheranus neque Calvinista fuisse & nescivisse ipse quid crederet, quidque credendum sit. Suos quidem errores ipse anno 1622. ejuravit & ex Anglia reversus declarationem quandam Romæ eodem anno editam divulgavit, verum paulò post ad vomitum rediens carceribus tandem Romæ conclusus obiit anno 1624. Et S. Inquisitionis sententiâ corpus ejus flammis addictum & in vigilia S. Thomæ traditum est.

DE

DE FRATERNITATE ROSEÆ CRUCIS
INVISIBILIIUM ET IMMORTALIUM.

HÆc Secta planè occulta per Germaniam circa hæc tempora grassata est, & venenum suum clam adeo sparsit, ut neque auctor neq; errores omnes indagari potuerint, de hac secta editus est libellus Francofurti anno 1618. qui inscribitur, Themis aurea de legibus Fraternitatis Roseæ Crucis. In secundo huius libelli capite scriptæ inveniuntur sex leges dictæ huius Fraternitatis.

1. Ut nemo illorum iter agendo aliud profiteatur nisi morborum curationem planè gratuitam.

2. Ut nemo, eo quod in Fraternitatem ingressus sit, certo habitûs genere uti compellatur, sed regionis duntaxat consuetudini sese conformet.

3. Unumquemque fratrum debere singulis annis die Crucis in loco S. Spiritûs sistere se, vel absentia suæ causas litteris declarare.

4. Debere unumquemque fratrum personam aptam & idoneam quæ sibi vitâ functo succedat, eligere.

5. Vocabulum Roseæ Crucis debere illis esse instar symboli aut sigilli.

6. Fraternitatem hanc debere centum annorum spacio latere.

Intes

Inter alias nugas etiam sequentes comprehenduntur. 1. Legum illarum auctorem esse personam privatam, esse anonymum, fide tamen dignissimum, vulgo quidem incognitum suis tamen notissimum. 2. Ipsos fratres hactenus feliciter vixisse, ac deinceps uti sperant feliciter per secula victuros. 3. Ipsos tantummodo scire debere sui conventus locum. 4. Ea quibus utuntur remedia primò ex Arabia in Germaniam profecta esse. 5. Eam qua utuntur curationem specificis, hoc est occultæ virtutis remediis constantem naturæ humanæ gratissimam esse, & omnibus morbis maxime contrariam. 6. Nullam se habere aliam magiam nisi naturalem bonis duntaxat, piis ac doctis à Deo concessam. 7. Apollonium Tyaneum licitam ac naturalem magiam exercuisse, & Julium Capitolinum, quem probata fidei auctorem ducit, referre quendam amicum suum infantem cucumella distillatoria efformasse, qui vitam ad horas aliquot produxerit. 8. Litteras R. C. à Fraternitate ista usurpari solitas non Roseam Crucem sed auctoris nomen Symbolicè significare. 9. Hæc & plures aliæ affectiones partim enigmatica & partim temeraria, partim heretica, & partim de magia suspectæ ansam præbent dicendi hanc Fraternitatem esse surculum quendam Lutheranismi, ex Empirismo & magiâ ad ingenia levia & curiosa decipienda constatum.

Et

Et mirum sanè est quàm hac stulta secta sese in Gallias insinuarerit affixis tum per compita tum Parisiis Schedulis, homines se à morte erepturam esse pollicita, vitamque visibilem tum & invisibilem agere præ se ferens, ut & nomen eis inditum Invisibilium & Immortalium. De hac secta scribit P. Carassus Societatis Jesu Theologus doctrinam illorum Epicuream esse & multum habere affinitatis cum Atheismo omnia enim corpori & fœdis voluptatibus ventris indulgebant.

DE LUCILIO, ET NOVIS ATHEISTIS.

Lucilius natione Italus, cum Atheismum per varia Gallia loca docuisset, Toloſa tandem morti adjudicatus est ob blasphemias sparsas, cumque veniam peccatorum à Deo Rege & justitia petere juberetur arte supplicum respondit: Quod ad Deum attinet, nullum esse, credo, quod ad Regem, nunquam illum offendi, quod ad justitiam, illam ego dæmonibus, si tamen dæmones sunt, devoveo. Subjecit deinde miser parum eos effecturos, qui sibi mortem inferrent, cò quòd duodecim suæ doctrinæ Apostoli Neapoli egressi essent, qui per Europam idem Evangelium divulgarent. Huic duodecimo Apostolo lingua blasphema primùm fuit amputata, & ipse cruce pertractus, strangulatus & ambustus est & cineres in ventum dispersi.

DE

DE MERCERO ANABAPTISTA
NOVO.

Tres ob errores diuturno carceri fuit Mercerus in Anglia mancipatus.

1. Docuit S. Christiani baptismi Ceremoniam aliud nihil esse, quàm profanum Satanae inventum.

2. Nolle se vel sibi vel suis alium regenerationis modum quàm in solis pedibus.

3. Baptismi usum in adultam ætatem esse differendum exemplo Christi, qui in cæna suis Apostolis lavit pedes.

DE HERCULE COXAM.

Eodem tempore, quo Mercerus Angliæ Carceribus inclusus detinebatur propter sequentes errores Coxam inclusus fuit.

1. Afferuit nullum in terris esse animarum pastorem alium, quàm IESUM Christum, qui S. Spiritus unctione fideles suos in omnibus rebus instruit.

2. Dies omnes festos ac Dominicos penitus abolitos esse illis, qui in verum & æternum Christi Sabbathum ingressi sunt.

3. Dei electis pœnitentiam non aliam admittendam esse, nisi justificationis gratiam ante acceptam, quæ illos postea reddit impeccabiles.

4. Ejusmodi Patris æterni filium orandum non esse nisi in laudem & gratiarum actionem.

5. Genustexionem in cæna Dominicæ sump-
tione

tione, aliisque reverentiæ signis, externis, etiam erga Christum ipsum existentem in cælo, esse idolatriam.

6. Christi gestis magis consentaneum esse, ut in mensa communi panis & vinum accipiantur, conformiter illis quæ Christus in cæna adhibuit.

DE JOANNE TRASTO.

Circa hæc tempora Joannes Trasto palam aliquamdiu Londini concionatus est, ac sensim sine sensu venenatos suos errores propagavit, & Pseudo-Episcopis Angliæ multum negotii facessivit: sparsit sequentes errores.

1. Peccatores postquam semel penituerint, imposterum peccati immunes & penitus impeccabiles esse.

2. Censet omnes Ecclesias quæ usq; ad suam doctrinam fuerunt à tempore Christi, errasse, eò quod Moysis Sabbathum transtulerint in diem Dominicum, & legalem ciborum differentiam contempserint. Cæterum sectarius iste cum affectis suis nocturnis tantum utebatur precibus solâ spiritûs suggestionem & ingenti clamore, non absq; fastidio & molestia in vicinis ædibus habitantium.

DE HICMANNO EQUITE ORIGENISTA, ET DEISTIS NOVIS.

Hicmannus eques, notissimus in Angliâ veteres Originis errores de futura Dæmonum ac reproborum salute instauravit imò & scriptis Regi ostensis propugnavit. De-

Deista novi in Anglia inventi & ex Calviniana cloaca ascendentes, ii sunt, qui nihil aliud credunt quam Deum esse, quidquid illis de aliis mysteriis dixeris & interrogaveris an credant, respondent Hoc ita dicitur & si magistratus penas intentaverit, non aliud responsum reddere unquam auditi sunt, quam: Faciat de me Deus, quidquid ipsi libuerit, aliud a me nihil obtinebis, quomodocumque ulterius urgeas.

Sunt & novi Sabelliani in Angliâ reperti inter Calvinistas qui Jesum Christum profusè abnegantes in eas blasphemias eruperunt, ut ipsum non prophetam sed hominum seductorem pronunciârint, & unam duntaxat divinam personam asserentes, cui servire homines debeant lege naturæ.

✿:✿:✿:✿:✿:✿:✿:✿:✿:✿:✿:✿:
DECAS III.

✿(Ab anno Christi 1620. ad 1630.)✿

1621. **F**erdinandus Imperator Fridericum Palatinum, illique adhærentes proscribit, & per Bucquojum Moraviam, per Saxonem Silesiam recuperat, per Hispanos reliqua loca Palatinatus.

Osmanes Turcarum Imperator, centum millibus suorum gladio, totidemque mor-

bis

bis & aliis casibus absumptis, inglorius
Constantinopolim regreditur.

In Hungaria Gabriel Bethleemus pacem
cum Cæsare init, & Coronam Hungariæ
restituit.

Rex Galliarum movet in hæreticos rebelles
Rupellæ præsertim inclusos, urbemque
S. Joannis Angeriæ post dierum viginti
obsidionem deditione recipit, quam mæ-
nibus & propugnaculis privat, ad reliqua-
rum urbium Hugonotticarum terrorem,
& alias quoque sexaginta civitates hære-
ticorum per se, suosque Duces post mul-
tas pugnas & strages subigit.

Angli in portu Aleziæ aliquot Turcicas
naves incendunt, & prædâ opimâ poti-
untur.

Fortunatè hoc anno Hispanis res terræ
marique cesserunt; Rex enim Marochi
obsidens arcem ab iis exstructam, & mu-
nitam ad fluvium Mamoram propè Alar-
chiam, adveniente Hispanâ classe, fugâ
se proripuit, eadem classis paulò post in-
cidit in 32. Batavicas naves Venetiis re-
deuntes, elapso jam tempore, quas aut
cepit, aut demersit,

Fatalis fuit hic annus morte illustrium
virorum, nam 18. Januarii obiit Paulus V.
Pontifex, annorum sexaginta novem, in
cujus

cujus locum electus est Alexander Ludovicus Bononiensis Cardinalis, dictus Gregorius XV, Eodem mense obiit Cosmas magnus Hetruriæ Dux, cui successit Ferdinandus filius decennis, sub tutela matris Austriacæ. Die 22. Martii mortuus est Philippus III. Rex Hispaniarum anno ætatis 42. regni 23, cui successit filius Philippus IV. adolescens sedecim annorum. Die 13. Julii è vivis decessit Albertus Archi-Dux, Belgii Princeps, quo extincto statim uxor ejus Isabella velum & vestem Clarissarum Monialium suscepit, pietati deinceps vacatura. Demùm feliciter ad Deum migravit Robertus Bellarminus, Societatis Jesu Cardinalis propè octuagenarius, insignis Catholicæ fidei propugnator.

✽(1622.)✽ In Japonia multi Religiosi & nobiles cives, imò & infantes gloriosum martyrium pro fide Catholica subeunt.

Gregorius XV. Pontifex congregationem de propaganda fide Romæ instituit, & Sanctos Isidorum Hispanum agricolam, S. Ignatium Societatis Jesu Fundatorem, S. Xaverium, ejusdem Societatis Indiarum Apostolum, S. Theresiam Reformatricem Carmelitarum, & S. Philippum Nerium, Congregationis Oratorii Institutorem.

Ca-

Catalogo Sanctorum adscribit; vetat quoque in publicis actibus, vel etiam privatis colloquiis asserere, Beatissimam Virginem Deiparam conceptam in peccato originali.

Ludovicus XIII. hæreticos aggressus in Gallia, aut malè eos mulctat, aut ad obsequium & fidem redire compellit.

Osmanes à Polonica expeditione redux, dum majora molitur, quàm ejus ætas aut ratio postulat, à Janitzaris Damascum transportatur, & Mustapha ejus patruus rursùs ad Imperium evocatus administrationem suscipit, qui mox Vezirium Dilavez trucidari, & Osmanem strangulari curat.

Heidelberga capitur à Tillio, & urbis hujus Bibliotheca conflata ex omnibus pænè Germaniæ Monasteriis, ideo simul & semel eorum præcipuo Domino Pontifici Romano restituta est, & tota Romam missa, magnâ tamen deferentis incuriâ, qui codices exquisitissimos diripi passus est, eamque maluit in urbem deferre librorum numero, quàm delectu copiosorem.

Interea Comes Palatinus cladibus ubiq; ita prostratus est, ut modica spes recuperandarum ditionum suarum, multò minùs regni Bohemici usurpandi supersit; quare profugi adinstar è Belgio per Galliam, mediam-

O

diam.

diamque Lutetiam in comitatus & fisco habitu ad Mansfeldium nothum transisse compertus est, cujus causam nec Jacobus VI. Scotiae, & I. Angliae, & totius majoris Britanniae, atque Orcadum Insularum Rex, & Palatini gener armis tuendam & ultra promovendam suscepit.

✱(1623.)✱ Ferdinandus Imperator in Comitibus Ratisbonensibus Electoratus dignitatem à Palatino Friderico in Maximilianum Bavariae Ducem transfert, adjectam eidem ditione superioris Palatinatus, Mansfeldius autem nothus & Halberstadiensis latrocinii & deprædationibus Fridericum Palatinum ulcisci conatur, sed Tillius Catholicorum Dux, eorundem exercitum partim cædit, & partim fugat.

Carolus Walliae Princeps, filius Jacobi Regis magnae Britanniae unicus, Madritum venit, Mariam filiam Philippi IV. Hispaniarum Infantem in matrimonium deponit, & Pontifice nuptias non improban- te, impetrat. Quod tamen matrimonium postmodum non coaluit, Anglo & Hispano sibi invicem abrupti matrimonii causas objicientibus.

Moritur Gregorius XV, ei que substituitur Maffeus Barberinus Florentinus, dictus Urbanus VIII. vir eruditissimus, & Sede Romanâ dignissimus.

S. Franciscus Salesius Episcopus Genuensis, qui plus quam septuaginta duo millia hæreticorum ad Ecclesiam Catholicam reduxit, ad præmia cœlestia ex hac vita evocatur.

✱ *Illuminatorum* hæreticorum secta in Hispaniis exorta, combustis plerisque ejus auctoribus extinguitur, aut ita dissipatur, ut qui se Illuminatos dixerunt, tenebrosa quærentes latibula in lucem publicam prodire non audent.

DE SECTA ILLUMINATORUM.

ANNO 1523. in Hispalensi & Gaditana Hispaniæ diocæsesibus pullulavit tenebrosa hæc Pretentorum Illuminatorum hæresis: cujus auctores primi septem exusti fuere, ipsa verò editto condemnata, mandato cunctis eâ contaminatis addito, ut intra tricesimum ab editto promulgato diem inquisitores confessionis faciendæ, absolutionisque ab eis accipiendæ adeant. Quo in editto 76. maledictæ hujus atque impudicæ sectæ errores numerantur.

1. *Illuminatorum sectam esse optimam, speciatim verò mentalem orationem divino præcepto usque ad eò imperatam esse, ut per eam omnia adimpleantur.*

2. *Orationem esse Sacramentum sub accidentibus, mentalem autem esse, quæ hac virtute pollet; vocalem exigui esse momenti.*

3. Dei servos nec laborare debere, nec se in corporalibus exercitiis occupare.

4. Nec Præfato ulli, nec patri, nec superiori obediendum esse, quando aliquid jubebunt, quod orationis mentalis ac contemplationis horas impediet.

5. Quædam docent, quæ matrimonii Sacramento adversantur.

6. Neminem adipisci posse virtutis secretum, nisi magistris hæc docentibus discipulum se præbeat.

7. Neminem salvari posse absque eâ oratione, quam ejusmodi Magistri faciunt atq; edocent. Neminem item, nisi illis generaliter confiteatur.

8. Ardores, tremores, ac deliquia, quæ ipsi patiuntur, signa esse gratiæ ac Spiritus Sancti accepti; perfectis autem necesse non esse, ut virtutum opera exequantur.

9. Divinam essentiam ac Trinitatis arcana videri posse etiam in hac vita ab eo, qui ad certum perfectionis gradum pervenerit.

10. Spiritum Sanctum immediate eos regere, qui sic vivunt.

11. Sequendum duntaxat esse illius modum inspirationemque internam ad aliquid vel faciendum, vel omittendum.

12. Quo tempore S. Sacramentum elevatur, necessariâ consuetudine ac ceremoniâ claudendos oculos.

13. Ubi ad certum perfectionis statum quis venerit, nec videre eum posse sacras imagines.

nec concionem audire, nec loqui de Deo neq; alia
facere huic sectæ doctrinaq; contraria.

14. Debere omnes vovere, se matrimonium
minimè contracturos: religionem tamen nequa-
quam ingredi, cum religiosos Ordines bonos esse,
pernegent, censeantq; Dei servos debere præful-
gentem in mundo vitam agere extra religionem.

15. Eos, qui S. Sacramentum per plures si-
mul formas, sive hostias sumunt plus gratiæ,
gustûsq; recipere, imo se posse ex pane cocto
communione accipere.

17. Orationem & abstinentiam non posse
diu simul, nisi miraculo consistere, quod ora-
tio & amor Dei multum extenuent, adeò ut lau-
tis cibis vescendum sit, ut ad orationem aptior
quis evadat.

17. Orantem ita se debere in Dei præsentiam
colligere, ut nec discurrat, nec meditetur, ne
in Jesu Christi quidem passione, multò verò mi-
nus in S. humanitatis cogitatione immoretur.

18. Eum, qui in amore Dei est, vel orati-
oni mentali vacat, posse ab audiendâ Missâ
etiam diebus festis abstinere.

19. Unumquemque, dum in oratione aut in
Ecclesiâ versatur, debere obligationes, quibus
domui, statuiq; suo obstrictus est, oblivisci.

20. Se fœminis, quas Spiritus, doctrinaque
magistras dicunt, obedientiam debere.

21. Decimo quarto anno debere filias castitatis
quidem servandæ, religionis tamen non ingre-
diendæ votum edere.

22. Confessionis filias vovere debere, se non aliis, quàm Illuminatis confessuras.

23. Debere illas Illuminatis aurum, argentumve oppignorare, vel certè, si id non fiat, jurejurando confirmare, se aliis minime confessuras.

24. Fœminas conjugatas non debere viris in matrimonii debito obedire: filias, quæ in matribus defectum aliquem aut levitatem animaverterint, posse illas malè excipere. Denique confessionis filias nihil debere facere, ne jejuna-re quidem, nisi ex eorum præscripto ac mandato.

25. Licere confessariis confessiones revelare ei: cui obedientiam dederunt, & sibi invicem.

26. Ut Illuminati ab iis, quibus dedere obedientiam, vocentur Patres, præcepta illis & censuras imponant: neque ipsi absque Patrum permissu quidquam possideant.

27. Pœnitentiæ Sacramentum posse absq; ulla commisione aut licentiâ administrari.

28. Illuminatos auctoritatem habere absolvendi ab omni peccatorum genere, etiam Sedi Apostolicæ Episcopis, & sanctæ Inquisitioni reservatorum.

29. Eas, quæ in confessione ab aliquibus confessariis sollicitatæ fuerint, absolvendas non esse, quousque coram aliquibus confessariis ad hoc destinatis declaraverint, quinam illi sint, qui eas sollicitaverunt.

30. In communiōe per parvas formas, sive hostias, Deum parvum recipi.

31. Posse hominem tantum habere amoris cum Deo, quantum voluerit; tantumque favoris Spiritus Sancti adipisci, ut etiam non jejuno communicare liceat.

32. Eos, qui per plures hostias communicant, perfectiores esse.

33. Ubi confessionis filias communiōe donaverint, os suum ori illarum superponunt, halitumque emittentes, dicunt, illas amorem Dei accipere.

34. Non posse in cœnobiis ob officii occupationes perfectionem comparari.

35. Perfectum hominem posse absque speciali revelatione scire, utrum sit in gratia & charitate, nec ne.

36. Virtuti, salutique adversari, elegantem ornatum.

37. Posse hominem ad eum perfectionis statum pervenire, ut gratia animæ facultates submergat, nec possit anima vel progredi, vel retrogredi.

38. Posse hominem dicere, se ter à Deo fuisse in gratiâ confirmatum, primò quidem, quod ad peccata mortifera spectat, deinde quod ad venialia, ac demùm, quod ad naturales imperfectiones: seq̃ in eo statu existere, ut ex carne Adæ nihil retineat.

39. Ad eum perfectionis gradum pervenire posse, ut Sanctorum intercessione non egeat.

40. Quosdam esse ex Dei amore aegros, qui diebus ab Ecclesia vetitis, ut Vigiliarum, Veneris, & Quadragesimæ vesci carnibus debeant.

41. In statu unionis & amoris Dei ingenitum bonitatem comparari cum affectu amoris duntaxat, tametsi aliarum virtutum affectus desint.

42. In statu unionis nullum voluntatis actum exercendum esse: & in statu perfectorum ac vitæ unitivæ amoris Dei, si Deus anime formaliter dicat, ut sit bona, bonam substantialiter fore, in eoque statu necesse non esse, ut operetur, ut amet, ut amare desinat, ut quicquam faciat.

43. Actus eò magis meritorios esse, quò minor est sensibilis devotio.

44. Id tantum intelligendum esse, quod Deus intelligit, nimirum de se ipso, & in se ipso, & in rebus ad se ipsum pertinentibus.

45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. Turpes actus & tactus inhonestos cum sectæ suæ feminis ac puellis non esse peccata, imò virtutem potiùs ac pietatem.

55. Amicitiam, si bona sit, licet cum censuris & excommunicationibus prohibeat superior, ex eaque scandalum aliquod sequatur, minime vitandam esse, vel censuris obnoxiam.

56. Hominem publicè excommunicatum, si
à cele-

à celebratione, aliorumq; Sacramentorum administratione abstineat, nequaquam debere se pro excommunicato habere, modo sectam hanc S opinionem amplexus sit.

57. Se in extasibus S gaudii divini raptibus videre clare Deum, ut in gloriâ suâ videtur.

58. Claram Dei visionem semel in hac vita cum animâ communicatam, in ea perpetuò ad ipsius arbitrium permanere.

59. Quod semel visum est, semper ac singulis horis visum iri, cum lubuerit.

60. Ad consequendam cum Deo unionem in hac vita, eadem opus esse puritate, quâ ad videndum Deum.

61. Quando Deum clarè vident in extasibus S raptibus, ut videtur in gloriâ, semivisionem esse inter fidem S gloriam.

62. In supradictis illis magnis extasibus S raptibus nihil esse fidei, eò quòd Deum clarè videant.

63. Eos, qui doctrinæ illorum adhererint, purgatorii immunes esse.

64. Complures animas, eò quòd illorum doctrine acquiescere noluerint, in purgatorium amandatas fuisse: unde ad quosdam veniam petiture accedunt, qui pronunciatò illis Evangelio, in paradysum eas gradum facere conspiciunt.

65. Aquam benedictam peccata venialia non delere.

O 5

66. Ut

66. Ut quis se ad orandum colligat, nullâ ratione imaginibus utendum, cum sint tantum (inquiunt) blandimenta & illecebræ.

67. Conventicula habent Reipublicæ perniciosâ cum concionibus ac spiritualibus colloquiis nocturnis.

68. Quendam esse, qui stigmata Domini nostri Jesu Christi impressa habet, sudorem cruentum emittit, solo sancto Sacramento se sustentat, & cum Deo Patre colloquitur.

69. Evangelium & Scripturam pro arbitrio interpretantur contra veram intelligentiam & communem expositionem Sanctorum.

70. Verba hæc S. Pauli (Mortui in Christo resurgent primi.) ad litteram intelligi de quodam confessario, & quâdam confessionis filia; ipsumq; S. Paulum, si illa recte intellexisset de his, quando illa protulit, expositurum.

71. Christum Jesum, cum apud Matthæum dixit (Petite & accipietis) non nisi de prædestinatis locutum esse, quippè qui soli, quod petunt, accipiant.

72. Evangelium S. Lucæ, cum ait, Jesum Christum cæteris locutam esse in parabolis, intelligendum esse de solis reprobis.

73. Quod scribit S. Paulus (Sine pœnitentia sunt dona Dei) ita esse accipiendum, ac si diceret, Deum, ut nobis gratificetur, nostrâ non indigere pœnitentiâ.

74. Peccata

74. Peccatores non audiri à Deo efficaciter ad obtinendum, quod petunt, in eoque sensu intelligendum esse, quod apud S. Joannem legitur: Scimus, quia peccatores Deus non audit.

75. Doctores Theologos, Evangeliiq; concionatores spernunt, Scripturam se melius, quam illos intelligere, jactitantes.

76. Cum impudicis vastibus lasciviant, coronam & meritum eam ob rem pollicentur.

Habes, amice Lector, non minùs impias, quam impudicas propositiones, quas tenebrarum spiritus in horum prætentorum Illuminatorum cor ac linguam effudit. Sic nimirum extincto veræ fidei lumine Satan excæcat & dementat, quos hæresi semel imbutos regit: In quibus Deus hujus sæculi (Diabolus) excæcavit mentes, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi Jesu. Epist. 2. Cor. cap. 4. v. 4.

✽(1624.)✽ Edicto Jacobi Regis Britannia Ecclesiastici pelluntur ex Anglia.

Tartari Podoliam & Brussiam Nigram vastantes à Polonis & Cæsareis magnâ clade afficiuntur.

Melchior Cardinalis Klefelius, Episcopus Viennensis diu ab Austriacis in carcere Tyrolensi detentus, ab omnibus criminibus sibi à malevolis impositis, judicio & diplomate Pontificis absolvitur, & in integrum restituitur.

Batavi in Brasilia Sinum omnium Sanctorum occupant, & urbem S. Salvatoris Hispanis eripiunt, etiam inter Barbaros crudelitatis suæ in Catholicos vestigia relinquentes, adversus quos Philippus Hispaniæ Rex statim ingentem classem paravit, cui præfecit Fridericum Toletanum, qui eosdem repressit, & urbe ereptâ audaciam, fastumque edomuit.

✱(1625.)✱ Rex Galliæ, Veneti, Rheti, & Dux Sabaudia in arma concurrunt contra Austriacos pro restitutione Vallis Tellinæ.

Jacobus quoque Rex Britannia & fover Palatini cum aliis Principibus foedus inicit contra Austriacos, & Christianus Dania Rex Dux Protestantium inferioris Saxonia electus pro restituendo Palatinatu Friderico exauctorato Electori, tam male a Cæsareis Ducibus Tillio & Wallensteinio exceptus est, ut dum alteri providet, parum sibi consuluisse videatur.

Romam Jubilæi causâ venit Uladislaus Sigismundi Polonorum Regis primogenitus, & humanissimè excipitur.

Jacobus magnæ Britannia Rex moritur, uti & Mauritius Arausicanus Princeps, Dux exercitus Ordinum Belgicorum, cui Henricus frater successit; Jacobus autem succes-

successorem reliquit Carolum filium, qui hoc anno duxit uxorem Henricam Mauritianam, & Parisiis nuptias celebravit, frementibus hæreticis, & plaudentibus Catholicis, quia illi Catholicam Regnam averfabantur, & hi in ea consolabantur.

Franciscus Barberinus Parisios ingreditur ad conciliandos animos Regum duorum Catholici & Christianissimi.

S. Elisabetha Regina Portugalliae in numerum Sanctorum ab Urbano VIII. refertur.

Ferdinandus III. filius Ferdinandi II. in Regem Hungariæ Sopronii coronatur.

✽(1626.)✽ Constantinopoli Cyrillus Patriarcha ex Turco, Græco, Calviniano compactus versipellis homo misit, Græcos adolescentes in Hollandiam, qui postmodum per Græciam, quod in Hollandia comibberant Calvinianum virus spargerent.

Frater Paulus Venetus Servita summi Pontificis magnus hostis & sanctæ Sedi ipsius hæreticis infestior & Lutheranus cucullatus anno 1623. mortuus a plebecula Veneta Sanctorum honores consecutus esset, nisi sub pœna anathematis Urbanus prohibuisset ad ejus sepulchrum cultum aliquem duliæ exerceri à Venetis, qui si Romæ fuisset, forte ut creditur, ignibus

addictus fuisset, cujus compar Marcus Antonius de Dominis saltem mortuus ex morbo, idem tamen supplicium etiam post mortem in corpore adhuc luit una cum scriptis suis Romæ cremato.

Ernestus Mansfeldius Nothus Catholicorum detestabilis persecutor ad Pontem Dissaviensem à Wallsteinio vincitur pediatu toto amisso, equitatu ægrè cum ipso Duce elapso. Qui nihilominus exercitum statim reparavit & per Germaniam palabundus in Hungariam magnis itineribus ad Gabrielem Bethleemum venit (vestigiis ejusdem ubique insistente Wallensteinio) eique latronum suorum reliquias committit, ipse vero dum ad Turcas per Venetos transire intendit, in Bosnia morbo contracto impiam animam efflavit.

In Austria superiore exoritur rusticorum rebellio, 70. rusticorum millibus confluentibus & arma sumentibus, qui etiam legatos impudenter ad Imperatorem miserunt, & æquo pænè jure cum suo Principe egerunt, quâ audaciâ nobiles (in quorum perniciem conjurârunt) contra se accenderunt, atque ab iis sæpè fracti aut profligati, aut fame enecti in sylvis, aut ex arboribus in via consitis, popularibus suis in terrorem pependerunt.

Ad hæc tempora referuntur Gustavi Adolphi Sveciæ Regis initia, quando se parem existimans Sigismundo Polono & gloriâ cumulatus, incepit undique pecuniam corradere, quâ fretus, & præcipuè auri Gallici fulgore inflammatus, magnâ divini humanique juris perturbatione tenebras, misérias & luctum intulit in Germaniam.

Urbanus VIII. litteris in Japoniam missis animat Christianos ad Martyrium.

(1627.) Christianus Daniæ Rex in agro Brunvicensi a Tillio Duce Cæsareo anno superiore victus, cum duces suos, fere omnes unâ cum tormentis bellicis 22, & signis militaribus 66, & quoddam caput est, simul existimationem suam præcidisset, hoc anno iterum penitus retusus, deinceps non tantum ab hostibus, sed a suis etiam ignominiosè derisus est.

Corpus S. Norberti Archi-Episcopi ex urbe Magdenburgo Pragam exportatur, ibi cultui exponendum, quod illic à Lutheranis neglectum fuit.

Poloni & Sveci sub magnis Ducibus & Regibus suis Sigismundo & Gustavo fortiter pugnant, prævaluerunt tamen Poloni, Gustavo istu globi vulnerato, & Svecorum Polemarcho, cum Ducibus non paucis

cis interfecto, & reliquo exercitu fugâ dilapso.

Ferdinandus II. Cæsar edicto mandat, ut in regno Bohemico non nisi unica religio Catholica doceatur.

Angli hæretici rebellibus Francis mixti, opem laturi Rupellanis Hugonottis perduellibus Regi Christianissimo à Schombergio Mareschallo Franciæ in Insula Rehana vincuntur.

Urbanus VIII. adscribit Martyrum Catalogo tres è Societate Jesu Paulum Michi, Joannem Gotho, & Jacobum Kifai, & Franciscanos aliquot in Japonia odio fidei occisos.

Ferdinandus III. Rex Bohemiæ coronatur.

✽(1628.)✽ Ludovicus XIII. Rupellam hæreticorum tutissimum asylum, post arctissimam quindecim mensium obsidionem fame domat, & ad deditonem compellit, contra multorum opinionem & expectationem, quibus Rupella visa fuit inexpugnabilis. Dixisses Rupellanos Præfidiarios non jam homines sed viva cadavera deditone factâ migrare, aut Regi Christianissimo sese submittere. Contra obstinatam urbem, nidum iniquissimum hæreticorum præterea nihil actum est à victore

victore & triumphatore Rege, quam quòd propugnacula, quæ rebellionem foverant, & accenderant diruta sint, & modis omnibus provisum, ne si maximè vellet, ipsa Rupella ultra se perderet, & dum furori undecumque pateret, sic conjurationibus occluderetur: Et quidem ut pietas quoque cum Rege de hæresi victa triumpharet, iussit Rex solenni Pompâ Sacrosandam Eucharistiam per urbem circumferri ipso cum toto exercitu comitante & Cardinale Richelio in basilica urbis solenne sacrum peragente.

Inter Anglos, Danos, Svecos & Batavos de restituendo Palatino novum foedus conflatur, inutile tamen, ubique Tillio & Wallensteinio prævalentibus. Danus ad Volgastum Pomeraniæ fugere compulsus est, multæ urbes a Tillio & Pappenhemio captæ, qui in his bellis egregiam operam navavit.

Constantinopoli Legati Angliæ & Hollandiæ Satagunt ut inde Patres Societatis Jesu expellantur: præsertim quòd hi resisterent hæresi ibidem vulgari lingua promulgari cæptæ. Sed in cassum laborarunt, Legato Galliæ jussu Regis eosdem protegente.

Mortuo Vicentio Duce Mantuano turbatur

batur

batur Italia, multis ejus hæreditatem præstantibus.

✽(1629.)✽ Bello Mantuano Pontifex & Gallus gravissimè offenduntur, respirant interea, seque miris modis armant Protestantibus ac recolligunt, Sveco evocato.

Moritur Bethleemus, & Cæsaris in testamento memor est, cum quo anno præterito pacem & foedus inivit, defuncto autem in Principatu Transylvaniae succedit Georgius Rakocski.

Hoc eodem anno pax inita inter Gallum & Anglum, item inter Danum & Cæsarem, illum victum sæpius & profligatum, hunc autem victorem sed longa bella pertractatum, inter Polonos verò & Svecos non pax sed induciæ constituuntur.

Ludovicus Rex Galliarum à Rupellensi obsidione Caroli novi Ducis Mantuæ defensionem suscipit, & Sabaudò passum in Italiam negante, atque etiam resistente, armatâ vi transitum sibi aperit.

Ferdinandus Cæsar pace cum Imperatore Turcarum & Rege Daniæ compositâ, edictum promulgat pro restituendis bonis Ecclesiasticis à Protestantibus post pacificationem Passaviensem occupatis, mittitque exercitum Duce Archemio Regi Poloniae adversus Gustavum Sveciæ Regem;

mittit

mittit infuper alium exercitum triginta millium peditum, & quinque millium equitum contra Carolum Gonzagam Ducem Nivernensem ob occupatum Ducatum Mantuanum sine investitura & fubjectione Cæfari debita, eundem invadunt etiam Hispani, Galli autem & Veneti eidem opitulantur.

Urbanus VIII. Pontifex in Sanctorum numerum adferibit Andream Corfinum, Epifcopum Fefulanum.

✠(1630.)✠ Cæfariani occupant Mantuam Venetis non providè fatis eam fervantibus, & peste infuper urbem affligente & depopulante: quibus miferiis Cæfarianorum quoque crudelitas accessit, qui urbem interceptam barbarorum more vastârunt ædibus prophanis & facris nullo diferimine expilatis, & crudeliter & luxuriose ac impie verè grassantes, quorum tamen scelera & diros excessus Imperator valde improbavit & redarguit. Hujus cladis nancius Carolum Emmanuelem Sabaudum intra triduum è vivis sustulit anno ætatis Septuagesimo secundo, occasione enim Mantuæ captæ non tantum Mantuanus Ducatus sed etiam Sabaudia gravissima damna experta est partim ab auxiliariis, partim ab hostilibus copiis; Post-

mo.

modum tamen pax inter Cæsarem, Hispanos & Sabaudum, & inde inter Gallos, Venetos & Carolum Nivernensem certis conditionibus conclusa est, inter quas fuit ut Carolus intra sex hebdomades supplicaret pro investiturâ Ducatûs Mantuani apud Cæsarem.

Ambrosius Spinola Cassalem oppugnat, sed non æquè secundo eventu, atque Colaltus Mantuam (habebat enim repugnantem sibi Torasium Gallicæ gentis tunc temporis decus & gloriam) quia obiit in urbis hujus obsidione Spinola & gloriam expugnatæ urbis cessit Marchioni Sancta-Crucio successori suo, cui urbs tandem cum arce dedita est: servatâ tamen ad tempus Acropoli, donec ex Francia veniret auxilium, quod paulò post adfuit sub tribus Mareschallis omnia perumpere paratissimis. Cumque jam essent in procinctu acies ambæ, Julius Mazarinus magno utriusque gentis bono eas conciliavit, & obsidione solutâ, pax Gallos inter & Hispanos sancita est.

Sub idem tempus conveniunt Principes Imperii Ratisbonam ad Comitia, efficiuntque apud Imperatorem ut Wallensteinum tunc absentem exuat præfecturâ Cæsarei exercitûs, quæ oblata fuit Duci Bava-

Bavariæ Maximiliano ; sed ab hoc recu-
fata, data est Comiti Tillio.

Interea Gustavus Adolphus Sveciæ Rex
invitatur a Protestantibus Principibus, &
adjutus pecuniis Franciscis Pomeraniam
ingreditur, bellamque denunciatur Impera-
tori, tunc copiis suis Italiæ incubanti.

In statu Veneto grassatur hoc anno pe-
stis gravissima, quâ absumpta sunt in sola
illa ditione, plus quam quingenta millia :
in Lombardia verò alicubi dimidiam, alibi
circiter tertiam partem hominum eadem
lues sustulit.

Jussu Cæsaris Wittenbergæ Cænobia
restituuntur, Maria Soror Regis Catho-
lici Ferdinando Imperatoris filio, jam Regi,
desponsata Tergestum honorificentissime
deducitur.

✽ | S | ✽ | S | ✽ | S | ✽ | S | ✽ | S | ✽ | S | ✽ | S | ✽ |

DECAS IV.

✽ (Ab anno Christi 1630. ad 1640.) ✽

1631. IN aula Gallica domesticæ turbæ
✽ Terumpunt, inter Reginam matrem
& Cardinalem Richelium, quæ indignè
ferens, quòd eum à filio amovere non
posset, in Belgium secessit, quò perrexit
etiam

etiam Dux Aurelianensis Cardinali infer-
sus, ille enim ita sibi Regem demeruerat,
& eum parentis loco haberet, & maluerit
matris & fratris carere præsentia, quam
Richelium à se amovere.

Jubente Cæsare in Italia hoc anno pax
firmatur cum Duce Nivernensi, datâ à
Cæsare eidem investiturâ pro Ducatu
Mantuano, Mantuâque restitutâ, atque
inde imminente hyeme Cæsareus exer-
citus revocatur.

Mense Majo jam diu obsessum, & pri-
mum quidem à Filio, deinde à Pappenhe-
mio expugnatum Magdeburgum totum
ferè in cineres abiit, sive hos ignes victor
ex ira, sive victi ex desperatione injecerint,
quos vehemens procella statim per urbem
circumtulit. Aliquot hebdomadis antè
captam, incensamque urbem, quod 10.
Maji contigit, uxor cujusdam militis in
partu diris doloribus per aliquot dies cru-
ciata, obiit, quâ defunctâ illicò apertus est
uterus ejus, ad infantem conservandum,
si fieri posset, in vivis, & mirum dictu!
reperitus est in utero infans æqualis puero
trienni, capite galeâ tecto, corpore lori-
cato, & pedibus novo more ocreatis, &
hæc omnia ex subtili, quasi chartæ adin-
star, pelliculâ, quæ facillè dimoveri pos-
set

set: ex latere magnum pendeat marsupium carneum, id quidem intrinsecus asperum & corrugatum, arietino vel vaccino aqualiculo simile, intra marsupium autem duo globuli erant catapultariis glandibus non dissimiles.

Contra Imperatorem & Austriacam potentiam cum Rege Sveciæ fædus ineunt Reges Galliæ, Angliæ, Hollandi, itemq; Elector Saxonæ; & incipit magna tempestas à Septentrione in Germaniam incumbere, dum Gustavus diu collectas in regno suo vires cum Saxone conjungit, & ad Lipsiam atrocissimo prælio cum Cæsarianis configit & vincit, quâ pugna etiam Tillius Dux fortissimus & belli experientissimus, globo minoris tormenti vulneratus paulò post obiit, & in ejus locum restitutus est Wallensteinius antea exautoratus.

Hac victoriâ elatus Svecus summâ celeritate Franconiam, Sveciam, Palatinum inferiorem, Alsatiam, Moguntinam ditionem, Westphaliam, quasi deambulando depopulatur: Et qui initio Pellitum egentem, & suspensis fune è collo gladiis, miserum aspectu militem è Septentrione adduxerat, mox Ecclesiasticorum præcipuè spoliis locupletem exercitum circumduxit:

duxit:

duxit: jamque eò progressus erat, ut pæ-
nè sociis quoque metuendum se præberet,
qui & Rheno pertransito, eos jam contem-
nere visus est, sine quorum auxilio inter
Gothicas nives torpere aut venari debu-
isset. Conspectis tamen copiis ultra non
progredi ausus, in Germaniam, jam mag-
nâ ex parte suam retrocessit, ut ibi victo-
rias suas & potentiam firmaret.

Exeunte hoc anno 18. Kalend. Januarii
Vesuvius mons inter horrendos mugitus
& tonitrua intestina terribiles flammâs
evomit, iisque permixtos lapides igni-
tos cum cinere. Erupit quoque ex mon-
tis cratere fluvius bituminis inflammati,
in septem rivos mox dissectus, obvia que-
que ad mare usque exurens, & in ipsis flu-
vibus duodecim dierum spacio ipsas
aquas accendens & depascens. Ex oppo-
sita verò montis parte erumpentis aque
fætidæ atque bullientis torrens multa lo-
ca inundavit & fædavit: Quæ clades an-
no sequenti, mense Februario renovata,
mirificè Neapolim perculit, & ejus pleris-
que civibus pænitentiam extorsit. In por-
tu omnes naves steterunt in sicco, aquis
supra modum recedentibus, quas ignis ille
Tartareus exederat, tandem tamen urbs
liberata est, adhibitis & cultui expositis
reli-

reliquiis S. Januarii, celeberrimi urbis illius Patroni, cui jam pridem illa suam debuit in multiplici periculo incolumitatem. (1632.) In Imperio vario Marte a Cæsarianis & Svecis pugnatur, multas civitates his occupantibus & illis recuperantibus, tandem utrinque decernitur generale prælium illudque cruentissimum & committitur ad Lutzenam oppidam, in quo utrinque perivère circiter novem millia hominum, & ipse Gustavus Sveciæ Rex dum pugnae & victoriæ avidior ad frontem, non jam magni exercitus Imperator, sed pænè gregarius miles pugnaret, incertum à quo, in pugna occiditur, anno ætatis 38. & ita vulneratus atque deformatus inventus est, ut à suis domesticis vix agnosceretur. Perdidiſſet Gustavus cum vita totum etiam exercitum suum, nisi Bernardus Weimarius Saxo sapienter occultatâ Regis nece, & vulnere duntaxat simulato, Svecos ad vindictam Regii sanguinis accendiſſet, iisque hac arte non incrementam, sed Cadmæam victoriam servasset. Sed & alter Polemarchus exercitus Cæsarei Pappenhemius interit, vir bellicosissimus, Wallensteinio supremo Duce post pugnam Cæsareum exercitum Lipsiam reducente.

P

Tre-

Trevirensis Archi-Episcopus superiore anno dum Gustavus Rhenum pertransisset Gallorum ope imploratâ, ne idem suis ditionibus à Svecis contingeret quod Moguntinensibus, Hermeinsteinae archimunitissimæ Gallicum præsidium imposuit idem facturus Trevirensi urbi, nisi capitulum tunc obstitisset & maluisset sub præsidio Hispanorum sese tueri, ideo hoc anno Galli Treviros obsederunt, ut expulsis Hispanis urbem Archi-Episcopo tanquam legitimo suo domino restituerent, & hujus potius quam Canonicorum imperio cives subesse docerent.

Moguntia hoc eodem anno dum maxime sperat à Sveco suæ pristinae dignitati restitui, Fridericus Palatinus quondam Elector diem suum ex morbo pestilentis obit anno ætatis duodequadragesimo, turbularum Germanicarum primus & præcipuus auctor, quarum tamen poenas peracerbas dedit, eò redactus, ut precario ac propè mendicatore viveret, ex Palatino Rex, & ex Rege mendicus, ac nihil.

Sigismundo Poloniae Regi anno ætatis 66. regni 45. defuncto succedit Vladislavus filius.

Sveci Duce Waimariensi omnia Saxoniae loca à Cæsarianis capta recuperant.

Chri.

Christina Regina unica Gustavi filias septennis tutelæ Alexii Oxensternii magni Cancellarii Regni Sveciæ committitur.

Dux Aurelianensis cum Duce Montmerantio in Gallias erumpit quasi vi ex brachiis Regis Richelium erepturus, sed à Rege per Ducem Schombergium vincuntur, & ille quidem refugit in Belgium, hic verò vivus capitur, & demum Tolosæ ex juris formula capite plectitur, quamvis probrosè carnificis manu, piè tamen ac religiosè moritur.

✽(1633.)✽ Constantinopolis tristissimo vastatur incendio, quo tertia pars urbis devastatur.

In Germania Svecos inter & Cæsareos dirissimè bellum recrudescit, in locum Gustavi succedentibus Waimario, Kornio, Bannerio sub præpulo regni Svecici administro Oxensternio.

In Alfatia quoque & Svevia vario Marte pugnatur, hinc à Cæsarianis & Bavaris & inde à Svecis & Gallis.

Ludovicus Rex Galliarum invadit Lotharingiam & sui juris facit. Causa autem ejus invasionis prætendebatur, quod Carolus Aurelianensi Duci sororem suam Margaritam dedisset in uxorem, propterea coactus est tradere ditionem suam.

suadente ita Richelio, ut cum Ducatu etiam Nanceum urbem consignaret in manus Regis, à quibus servare non poterat, ea quæ sua essent.

Carolus Rex Britanniae Coronatur in Regem Scotiae, & Puritanos persequitur præscribens certum habitum Episcopis, & Liturgias, ac musicos concentus Ecclesiis, unde inter homines seditiosos multæ exortæ sunt contentiones, quæ demum in miseri Regis caput reciderunt.

Ferdinandus Cardinalis Philippi Hispaniæ Regis frater, & Hispaniæ infans Gubernator Belgii à fratre constituitur post obitum Isabellæ, ideo Aurelianensis Regis Ludovici frater, qui hæctenus in Belgio degebat, redit ad fratrem suum Regem, ab eoque perhumaniter recipitur, Richelio in posterum amorem pollicitus. Matrimonium autem quod cum Margarita Caroli Lotharingiæ Ducis sorore inierat, mox à Rege & Senatu irritum declaratum est, tanquam inscio & non consentiente Principe contractum. Cum enim Ludovicus Rex pro eadem Carolum Lotharingum sollicitasset, dissimulato habitu Margaritam ad suum Aurelianensem abire passus est, de hujus dissolutione matrimonii acriter inter doctos viros disputatum

tum est ; cùm starent pro utrâque parte ingeniosi fautores, & nunquam viris Principibus desint, qui eorum causæ, qualiscunque illa sit, patrocinentur.

Romæ Hyacinthus Centinus nepos Cardinalis Centini Ascolitani mortem Urbano VIII. necromanticis veneficiis molitur, at scelere patefacto ibidem securi percussus luit.

Romæ opinio Galilæi Florentini exagitata per Nicolaum Copernicum, de motu terræ, circa solem tanquam centrum universi, à sacris Inquisitoribus damnatur, ut sacris codicibus opposita. Quam doctrinam cum ille pollicitus esset retractare ac damnare, & nihilominus scripto docuisset ac divulgasset, septuagenarius licet, inclusus est carceri, non quia hæreticus, sed quòd fidem datam in re tanti momenti fefelleret.

(1634.) Comes Albertus Wallensteinus Dux Fridlandiæ copiarum Cæsarearum ductor opprimitur, cui potentia potius & invidia, quam agitata cum hoste consilia nocuisse dicuntur, putatur (si mortem ejus Imperator inferri mandavit) sibi met sinistra manu dextram amputasse : & verò auditâ ejus morte dicitur collacrymâsse, quas tamen lacrymas suspicantur

aliqui similes fuisse lacrymis Cæsarianis defluentibus, cum ille Pompeji truncati caput videret, hac in re suus cuique sentiendi & iudicandi arbiter affectus est. Occiso Wallensteinio Galassus à Cæsare substitutus est, prius tamen Ferdinandus III. iam Hungariæ Rex loco Wallensteinii supremum regimen exercuit, qui conjunctis copiis Ducis Bavarie Ratisponam oppugnavit, ac tandem (licet non sine magna strage suorum) etiam expugnavit, auctus deinde exercitu Hispanorum quem ducebat Infans Cardinalis in Belgium, ac simul militia Caroli Ducis Lotharingie obsedit Nordlingam & cum Svecis prælium atrox commisit, quo totis decem horis acerrimè pugnatum est, & obruti tandem & victi Sveci suorum octo millia in acie, novem in fuga perdidit, quatuor millia capti, inter quos Hornius cum 80. tormentis bellicis, signis militaribus ducentis & cum omnibus impedimentis. His auditis Augusta, Herbipolis, multæq; aliæ urbes ad Imperatorem, & ad veros suos Principes & Dominos redierunt. Waimariensis ad Gallos confugit pro subsidiis, quæ ut impetraret effecit apud Svecos, ut Philipsburgum arcem munitissimam, magno detrimento Germaniæ, Gallis traderent.

Tota

Totâ igitur Lotharingiâ, & totâ ferè Alfatia, Episcopatu Basileensi & Spirensi jam Ludovici Regis patrocinio sese submittentibus, videbatur is ab hac parte Rhœni jam belli ac pacis arbiter esse.

✽(1635.)✽ In Germania res Svecorum labascunt, & Cæsaris augentur, cui Spira, Wormatia, Ulma, aliæque urbes se dedunt: Treviros quoque recipiunt, Cæsarei unâ cum Electore, quem Viennam abducunt ad causam dicendam, de introductis Gallorum præsiidiis contra Imperii constitutiones. Interim Urbanus Papa VIII. instat, ut Elector dimittatur, si innocens est, vel si reus, cum Ecclesiasticus sit, restituatur potestati Ecclesiasticæ, ab ipso Summo Pontifice judicandus; sed præter bona verba nihil tunc Pontifex impetravit.

Multum quoque roboris contulit ad Cæsaris exercitum Georgius Dux Saxonix, qui à partibus confœderatis Protestantium ad Imperatorem transit, frenentibus contra suis Lutheranis. Galli quoque Austriacis bellum indicunt, & cum Hollandis, Sabaudis, & Parmensi fœdus ineunt, magnoque impetu Belgium, Germaniam, Lotharingiam, Italiam, & Vallem Tellinam cum diversis exercitibus invadunt,

dunt, sed sine optato successu, & in Belgio quidem ac Germania cum magno suo detrimento. Exercitus enim in Belgium missus, fame enectus, diminutus valde ac dispersus rediit in Galliam, alter verò, qui expeditus fuerat in Germaniam, laceffitus sæpius à Cæsarianis, & carptim diminutus, demùm ingloriè recedere coactus est sine tormentis bellicis, quæ defodit, vel projecit in lacus, & plus retulit de vulneribus, quam de spoliis. Interea tamen Pontifex Urbanus non destitit omnibus modis laborare pro componendâ pace inter Cæsarem & Regem. Dum Galafus quoque & Joannes de Werdt Cæsarei Duces æquè omnibus viribus contendunt Gallos carpere, & ipsos Galliarum fines excursionibus perterrefacere & affligere.

(1636.) Dux Bavarie Annam Mariam filiam Imperatoris in uxorem ducit. Dolam frustra obsidet Condæus Prorex Burgundie.

Hispani vicissim Picardiam vastant, Corbeiam capiunt intra paucos dies, sed Ludovico cum exercitu adveniente ad recuperandam urbem, eandem deserunt, Belgium suum repetentes.

Inter Polonos & Svecos induciæ usque
ad

ad 26. annos conficiuntur, Prussia Polono & Brandenburgico, Livonia autem Svecico cedente, quæ magnarum contentionum & bellorum postea materies fuit.

Joannes de Werdt cum Croatico Cæsaris milite Parisios usq; excurrit, & incutit magnum timorem, dum Galassus Confluentiam recuperat, Gallis expulsis.

Ferdinandus Imperator in Comitibus Ratisbonensibus Ferdinandum Ernestum jam Hungariæ Regem curat insuper inaugurari Regem Romanorum: natus tunc erat Ferdinandus Rex annos duodetriginta. Hæc autem electio à multis est improbata, eò quòd Elector Trevirensis detineretur captivus, Bavarus loco Palatini substitutus esset, maximè omnium Galli se huic electioni opponerent, sed in his negotiis summi juris est, occupare & vi retinere.

Urbanus VIII. Cardinalem Ginelum mittit Coloniam ad tractandum cum Principum Legatis de pace universali, neque tamen eam impetrat.

✽(1637.)✽ Ferdinandus II. Imperator die 24. Viennæ religiosissimè moritur, annorum 59. optimè de re Catholicâ meritis, Principum optimus, & idea omnigenæ virtutis, succedente filio
P 5
ejus

ejus Ferdinando III. cui sub vexillis tunc militabant centum & decem armatorum millia.

Obiērunt eodem anno Sabaudia & Mantua Duces, diversarum partium, & impacati semper.

Hollandi Bredam obsident, & post novem hebdomadas ad deditionem cogunt.

Ejiciuntur in Pomeraniam Sveci.

Vladislaus Poloniae Rex Caesareos armis ad obsequia compellit.

In Anglia Praedicantes Puritani contra Regem & Proceres seditionem excitant.

In Japonia Pater Marcellus Mastrillus e Societate Jesu post tolerata per plures dies gravissima tormenta, tandem in odium Christianae fidei decollatur.

(1638.) Constantinopoli fanaticus ille Cyrillus, Patriarcha Constantinopolitanus Graeco-Calvinianus, ab urbis Praefecto in carcerem conjectus, ad fauces Bosphori (Castrum septem arcium dicunt) & ex turri in mare praecipitatus & submersus est, ejus in sedem alter Cyrillus restitutus est ex Iberia, quem ille detruserat, sed & hic pecuniā emit, & non eruditione & virtute hanc dignitatem a Turcis impetravit.

Brema ab Hispanis obsidetur, & interempto

empto Duce Crecquio ad deditionem cogitur.

Pugna navalis committitur non longè à Genua inter classes Gallicam & Hispanicam: vicèrè, sed cruentâ victoriâ, Galli.

Classis Veneta 17. triremes piraticas Turcarum in mari Adriatico debellat.

Hollandi in Belgium exscendentes ab Hispanis profligantur, & ab obsidione Geldriæ perturbantur.

Amurathes Turcarum Imperator bello Persico occupatur.

Casimirus Regis Poloniæ frater, electus Lusitaniæ Pro-Rex, dum in hoc regnum festinat incognitus per Galliam, interceptus & Lutetiam perductus, in honesta custodia lautè habitus est, donec precibus fratris & Legationi Polonorum concessus est. Tanti illi stetit parùm prudens & curiosus peregrinatio,

Batavi Calloum expugnant, paulò post ab Hispanis iterum exturbati.

In Scotia majores turbæ à ministrellis excitantur contra Carolum Regem, excujus lenitate, & de jure suo nimis remittente, facti sunt hæretici ferociores & insolentiores.

Weimarus Dux Svecorum cum Gallis conjunctus Cæsarianos ad Rheinfeldam vincit,

vincit, victoriâ quidem haud incruentâ, sed valde pretiosâ & proficuâ, sic enim Rheinfeldam, Neoburgum, Friburgum Brisgaviæ & multa alia oppida cepit, & exinde Brisacum obsidione in suam potestatem redegit rebus omnibus jam destitutum, quod ut Cæsariani & Bavari servarent, nihil intentatum reliquerunt, sed prævaluere, qui premebant arctissime, & fortissime oppugnabant.

Ludovicus XIII. in festo magnæ Dei Matris in cœlum assumptæ regnum suum speciali devotione & solennitate Deo consecravit, & accepit vicissim à Deo munus diu desideratum & expectatum, Annæ enim Regina non multò post enixa est filiû, quem populus dixit *Adeodatum*, in sacro autem baptismi fonte dictus est Ludovicus XIV. & regni, & virtutum, & gloriæ paternæ hæres & magnum incrementum.

✽(1639.)✽ Urbanus Pontifex cum Veneretis agit de procurandâ pace inter Catholicos Principes, aut saltem de induciis & suspensione armorum, sed hunc conatum diversæ dissensiones iterum extortæ interturbant.

Idem Pontifex mittit in Angliam in legatione ad Catharinam Reginam Catholicam,

licam, Comitem Rossetum Ferrariensem, qui eximio suo zelo non solum ipsam Reginam Catholicam, sed & Regem Carolum mirifice sibi & Pontifici conciliat. Interim autem Puritani & Calvinistæ contra eundem Carolum gravem seditionem movent.

Amurathes Turcarum Imperator Mustapham avum suum diu in carcere detentum necari jubet, & vovet Mahumeti suo, seensem non depositurum, usque dum Christianos Imperio & legi suæ subjecerit, sed improvise casu adeo debilitatus est, ut deposita ferocia pacis conditiones facile admiserit.

Waimarius Saxo pestilente morbo afflatus Neoburgi ad Rhenum extinguitur. Eo sublato Bannerius Svecici Ductor exercitus animos extulit, Princeps autem Palatinus Rheni auditâ Waimarii morte, dum Brisacum occupaturus pergit per Galliam, ignotus ex Anglia Molimis intercipitur, cui & iter abruptum, & consilia patefacta, atque imprudenter suscepta, in irritum evanuerunt.

Carolus Angliæ Rex magnam suscipit expeditionem contra regni sui rebelles, sed non eâ fortitudine continuat, quam mala imminencia exigebant.

Sveci incumbunt Marchiæ Brandenbur-
gicæ, mox Saxonicæ ac Misnicæ, & demum
Bohemicæ, cujus metropolim adoriri au-
sus Bannerius repulsam patitur.

Trompius Hollandicæ classis Ductor
magnam partem classis Hispanicæ propè
canalem Anglicum incendit & mergit.

✽(1640.)✽ Die 9. Junii nascitur
LEOPOLDUS IGNATIUS Archi-Dux
Austriæ, nunc Augustissimus & gloriosis-
simus Romanorum Imperator.

Amurathes Turcarum Imperator ex cra-
pulâ, cum apud Vezirium se vino & aquâ
vivâ ingurgitasset, contra votum suum,
quod coram suo Muphti nuncuparat, mo-
ritur Constantinopoli, cui frater Ibrahi-
mus successit, annos natus duodetriginta,
& jam neci addictus, qui tum se vivere
posse, intellexit, quando emortui fratris
cadaver cum gaudio aspexit.

Celebratur magna cum solennitate &
pietate à Societate JESU per universum
Orbem Jubilæum, seu annus centesimus
fundatæ Societatis, Summo Pontifice
Urbano XIII. id approbante.

Idem Urbanus VIII. Rempublicam Lu-
censem excommunicat, quod in carcerem
conjecisset fratrem & famulos Cardinalis
Franciotti ipsorum Episcopi.

Cal.

Calvinistæ rebelles in Anglia insurgentes in Regem suum, eum cogunt ad retractandam formulam contra rebelles Scotos ab ipso editam, eidemque jus vectigalium eripiunt.

In Italia Casale altis, vastissimisque operibus ab Hispano circumseptum audaciâ incredibili perumpitur a Gallis, & tertia urbis hujus obsidio discutitur consilio & prudentiâ Richelii, ac fortitudine Comitum Harcuriani: e contra Taurinum & Atrebatum à Gallis Sabaudis & Hispanis eripiuntur.

In apertum erumpit Catalaunorum desperata rebellio, qui ad arma concurrentes Hispanis fidem ejurarunt, non sine magnâ cæde & multo sanguine effuso: tutelam insuper à Ludovico implorarunt, quod quàm utile fuerit Ludovico Galliarum Regi, ostendit Comitatus Ruscinonensis perpetua jactura, quâ ille ad Gallos devenit. Et quidem ut Castellani utrimque premerentur, quod jam pridem meditantur. Suppeditato sibi per Francos & Batavos apparatu militari, Lusitani sibi Regem creaverunt Joannem Brabantiarum Ducem, qui magnâ conjunctione animorum ubique terrarum receptus est.

Carolus Angliæ Rex hoc demùm anno sensit,

lenfit, se lenius cum suis Scotis egisse. In illos enim dum arma parat, expertus est, ferius, Puritanos potentiores in Angliâ cum iis stare, progressus est tamen cum exercitu Eboracum usque, ubi de pace consultatum est, sed cujus specie delusus Princeps, & cum illo omnes boni, summam & ultimam rerum omnium perturbationem deprehenderunt.

Tartari & Moschi mutuis se excursionibus carpunt & atterunt.

Cæsariani Svecos Bohemiâ ejiciunt.

Ludovico Regi alter filius Philippus Dux Andegavensis nascitur.

✠

DECAS V.

✠ *(Ab anno Christi 1640. ad 1650.)* ✠

ANNO 1641. armis se mutuò infestant, Odoardus Farnesius Dux Parmensis, & Barberini nepotes Pontificis.

Turcæ quoque, cum Venetis pace initâ, contra Cosaccos sibi infestos arma parant.

Catalauniæ rebellionem contra Hispanos promovent Galli sibi in alienâ messe metentes: interea autem in ipsa quoque Francia Borbonius Galli que aliquod fœdus ineunt cum Bullionio Duce, Regi que rebellant, mox etiam exercitum regium contra

contra se missum, viribus & fortunâ imparem suæ fortitudini vel audaciæ cedere cogunt; sed cum Borbonius jam victor, istu sclopeti vulneratus occumberet, reliqui confederati brevî dissipantur.

Bannerius Svecorum Dux Cæsarem oppressurus repentè advolat Ratisbonam, sed luit non multò post hanc temeritatem suorum strage, & ipse in extremas angustias redigitur, ac contracto morbo moritur.

Obiteodem anno Bruxellis Cardinalis Infans, postquam septem annis Belgio præfuisse.

Res Anglicanæ fædè turbantur à Parliamentariis, Calvinistis, & plerisque Puritanis, qui Scotis rebellibus favebant. Et quidem hoc malum ipse Rex imprudens fecit, quando passus est Parlamentum, (uti vocant) perpetuum declarari, donec turbæ penitus sedatæ essent. Hoc decreto Regis auctoritas labefactata est: tunc enim dati in custodiam Guilhelmus Landius Archi-Episcopus Cantuariensis, & Pro-Rex Hybernæ fautores Regis, & huic etiam tortoris manu caput amputatum: tantæ immunitati Carolus subscribere coactus est. Eò usque crevit audacia hæreticorum, ut etiam quæstionem de Regina
insti-

instituerent; quare hæc vitæ suæ consul-
tura, quasi deductura filiam suam Guihel-
mo Arausicano desponsatam, secessit, &
Rex in tutiora loca confugit, non jam Rex,
sed Regis larva, cujus auctoritate ad omne
nefas hæretici rebelles abutebantur.

✽(1642.)✽ Perpinianum eripitur Hi-
spanis à Rege Galliarum.

Obiit hoc anno Richelius, cujus sagaci
ingenio & prudentiæ Gallica Monarchia
fere omnes progressus suos adscribere
debet.

Obiit item Colonia Regina Maria Me-
dicæa Ludovici XIII. mater & Henrici con-
jux, fere omnium rerum egena, tantum
depressa à Richelio, quantum illa Riche-
lium extulit.

Königmarckius Ductor exercitûs Sve-
cici Gloscaviam majorem, Groß Gluckau
invadit, & capit, mox etiam cæso Alberto
Brandenburgico potitur Silesiâ, progres-
sus inde in Moraviam occupat Olomu-
zium, inde regressus in Saxoniam Lipsiam
obsidet, & suppetias adducentem Archi-
Ducem Leopoldum atque Octavium Pic-
colomineum ambos vincit, & Lipsiam ca-
pit, propterea Maldoniana legio, quæ
prima fugisse ferebatur, ignominiosè mu-
tatur, Duces ejus gladio cæsi, & signi-
feri

feri laqueo suffocati, & reliqui milites factâ decimatione morte puniti, Maldonius ipse datus in carcerem, Pragæ postmodum decollatus est.

Manifestè rebellant in Regem suum Angli, & vitæ sui Regis insidiantur paucis Catholicis adhærentibus Regi, & hæreticis omnibus Parlamento.

Georgius Ragotzius, Georgii Primi Ragotzii Principis Transylvaniæ filius parente adhuc superstitite Principatûs titulo insignitur.

Pontifex excommunicat Ducem Lotharingiæ, ejusq; pellicem legitimæ uxori superinductam.

Osnaburgum & Monasterium Westphaliæ eliguntur pro pacis Svecico-Germanicæ tractatibus ineundis, & sic ponuntur tandem fundamenta pacis post bellum tam triste & plurimorum ruinæ protractum.

(1643.) In Gallia Richelio Cardinali in administratione Julius Mazzarinus substituitur, & eodem anno Ludovicus XIII. lento morbo confectus, pienssimè diem suum obit, cui filius ejus Ludovicus XIV. successit sub tutela sapientissimæ matris, quæ assumpsit Ducem Aurelianensem totius regni cum summa potestate

testate

testate vicarium, eoque absente Principem
Condæum concilii caput.

Hispani ut primum audiverunt Regem
Ludovicum extinctum esse, illicò Regiam
Rupem obsederunt, ut sibi aditum per il-
lam in regni præcordia aperirent, quibus
cum exercitu Gallico se opposuit Dux
Anguinius & unà cum Ducibus Hospita-
lio & Gassione eos aggressus ingenti cla-
de delevit, toto peditatu deleto; partim
in acie, partim in fuga, à rusticis spe præ-
dæ vel vindictæ cupiditate in sylvis, qui-
bus Belgium & Francia distinguitur, fu-
gientes jugulantibus. Hæc tamen gaudia
victorum Gallorum attemperat alibi ad
Rattevillam perpeffa strages, ubi minore
tormento ictus Guelriantius paulò post ex
vulnere interiit, quo sublato Gallorum
exercitus dissipatus capti Duces & impe-
dimenta direpta, ita ut in uno capite Gal-
lici nominis gloria contineri videretur.

Sveci A catholici invitant Georgium
Ragotzium Transylvaniæ Principem Cal-
vinistam ad Hungariam invadendam.

Joan de Werdt Dutlingam deditione
recipit, & Bavariam ab impetu Svecorum
liberat.

Regina Angliæ ex Hollandia per Sco-
tiam rediens pessimè à Parlamentariis ex-
cipitur.

1644.

✽(1644.)✽ Pax frustra inter Principes Christianos tentatur, fecialibus, sive plenipotentariis Monasterii convenientibus & magnificè quidem sese ostentantibus, sed fructuosè nihil agentibus.

Dux Aurelianensis occupat Gravelin- gam in Belgio, & Philippopolim in Pala- tinatu Rheni Dux Anguinius, qui acerrimo prælio cum Bavaris & Cæsareis per duos dies confligit, magnâ Gallorū ra- ge, sed victoriâ ex neutra parte certâ.

Moritur Clemens VIII. & Cardinalis Pamphilius dictus Innocentius V. succedit.

Obiêrunt etiam hoc anno Isabella Fran- cica filia Henrici IV. uxor Philippi III. & Cæcilia Renata Austriaca Poloniæ Regina.

Georgius Ragotzki Transylvaniæ Prin- cept, sollicitante Sveco & Prædicantibus Calvinistis instigantibus, Hungariam in- vadit, mox Cassoviam occupat, non de- ditione sed proditione hæreticorum, & non multò post eidem tota ferè Hungaria adhæret, Catholicis in fidelitate erga su- um Regem perseverantibus, cum quibus Buchemius seu Bucquojus Dux Cæsareus, licet paucis instructus copiis, sed animis ingentibus & prudentiâ impetum hæreti- corum fortiter repressit, & anno sequenti eundem Georgium malè multatum ad pa- cem

cem

compulit, quam avidè Cæsar recepit ad depellendos ex Germaniæ visceribus Svecos sapienter intentus.

Sveci non denunciato bello Danum omni ferè ex parte invadunt, Tortenstonio in Julia & Hornio in Schoniam malè eum multante. Cui etiam ad Insulam Fremenrem classem fugârunt, & ex magnâ parte merferunt, & Bartholmiam Insulam expoliârunt, ut malè omnia Marte adverso Danis cederent: causa hujus invasionis non videtur alia fuisse, quàm invidia mutua, utriqûe huic genti ingenita, & magnis subinde cladibus & damnis ventilata.

Poloni Tartaros Tauricos, qui collectis equitum quadraginta millibus in Podoliam irruerant, ingenti clade repellant, quos Podolienses, Moldavi, Cosacci, Zaporavenses penitus postmodum delerunt.

Scoti rebelles & Parlamentarij obsident Eboracum, huic urbi ut Rex ferret auxilium, Rupertum Principem Palatinum in eos immisit cum 30. millibus armatorum, sed huic occurrerunt & prælio duabus horis ante noctem inito, & in sequentem diem continuato, Regios vicerunt, eisqûe tormenta bellica & omnia impedimenta eripuerunt; Peditatus omnis concisus aut

cap-

captus, magna pars equitatis cum Rege fugit Oxonium, parum utile obsidioni ferendæ aut potius asyllum inane. Londinenses autem Archi-Episcopum Cantuariensem Guilielmum Landum, quod erga Catholicam religionem & Regem suum legitimum propensior esset, & consilia Parlamenti improbaret capite, plectunt in publico foro: quod atrocioris & funestioris secuturi supplicii in Rege exequendi præludium fuit.

Regina Britannæ Henrici IV. Galliæ Regis filia mari se committere coacta ad rebellium iras effugiendas malè a Calvinianis excipitur, utpote qui navem qua vehabatur filia conjux, & mater Regum tormentis bellicis impetiverunt, incassum tamen tentato immani facinore.

(1645.) In Anglia Parlamentarii majoribus incrementis invalescunt contra Regem, creato Generali Præfecto Farfaxio & Sub-Præfecto Cromvello, utroque de secta independentium, quæ nulli alteri sectæ adhærens, & Ecclesias ac sacras ceremonias respuens, in locis privatis suæ cujusque arbitrio orandum statuit. Similiter in Hibernia Catholica Religio opprimitur. Eam enim ingressus Pontificius Legatus majore pompâ quàm viribus & pecu-

pecunia, dum rebus non dum satis ordinatis, regnum imprudenter in partes dilabit, hæretici magno Religionis damno prævaluere.

Turcæ Venetis bellum indicunt & Cretam insulam Venetamque ditonem invadunt; occupant Caneam munitissimam urbem ex inopia comæatûs imparem sustinendis Turcarum impressionibus.

Ladislaus Poloniae Rex uxorem ducit Mariam Lodovicam Nivernensem Principem.

Philippus Christophorus Elector Trevirensis jam decennio captivus urgentibus legatis Franciæ, atque Sveciæ, restituitur libertati, & Hispani Treviros reddunt, suo Domino. Inter quem & Clerum mox grave dissidium exarsit, ille enim Canonicos suos præbendis, ut vocant, spoliavit, & hi ad Cæsarem & Pontificem provocaverunt, tandem inita est inter eos concordia urbi jam satis miseræ valde necessaria.

Cæsariani Olomucium obsident: igitur Torstenstonius relicto in Dania Urangelio properat in subsidium Olomucii, & Occurrentem in Bohemia Hatzfeldium cum Cæsaris exercitu atroci pugna devincit, & multas urbes Bohemiæ, Moraviæ ac Silesiæ occupat.

Tu-

Turenus Halâ captâ dum bellum spargit, à Mercio Bavarici exercitûs Duce invaditur & operâ potissimum Joannis de Werdt vincitur ad Mergenthemium & fugâ evadit, multis Ducibus Gallicæ militiæ captis : cumque ægrè collectis exercitûs sui reliquiis Königsmarckio & Hassis copiis sese junxisset ac superveniente cum novo supplemento Anguinio jam fortior evasisset, tunc demum ad Nordlingam cum Cæsareis congregitur & tanto ardore depugnat, ut tametsi victoriam in suas partes vi pertrahere non posset, inter utramque tamen partem ancipitem stiterit.

Pax initur inter Danos, Svecos, & Batavos sed magno Danorum damno portoribus eorum ex Sundico freto magna parte imminutis.

✽(1646.)✽ Galli Cortracum ad dedicationem adigunt, & Dunkerkam expugnant.

Sveci Duci Gustavo Carolo Urangelio copiarum Svecicarum supremo nunc præfecto cum Gallis Augustam obsidione cingunt, sed Cæsareis ad subsidium venientibus obsidione desistunt. Sveci totâ Moraviâ potiuntur præter Brunam urbem, quæ fortiter eis restitit.

Maria Imperatrix soror Philippi III.
 Q Hispa-

Hispaniæ Regis jam septimestri fætu gravida Lincii moritur, cujus ex alvo exempta filia, Maria dicta, & sacris aquis abluta, ipsa quoque statim funus materno funeri jungitur.

Philippus IV. Hispaniæ Rex perdidit & ipse filium sexennem & unicum, destinatum Cæsaris filix maritum, quem pustulæ intra quatrimum magno luctu extulerunt.

Denique extinctus est hoc anno Henricus Princeps Condæus, magno tam regni Francici, quam suæ familiæ damno: fuit is quidem educatus in hæresi, sed in fine vitæ fidem amplexus, piissimè vitam finit.

Vladislaus Rex Poloniæ, comparato ingenti exercitu, Turcas invadere intendit, sed à Republica Polonica impeditur, prætendente, quòd Rex non haberet auctoritatem suscipiendi belli offensivè sine Comitiorum consensu. Interim Veneti amittunt Rettinum in Creta, & Novigradum in Dalmatia.

Ferdinandus Franciscus Ferdinandi III. Imperatoris filius, postea IV. dicendus, s. Idus Augusti Bohemiæ Rex coronatur, inspectante patre, cujus hæreditatem excepturus erat.

In Italia Casimirus Ladislai Poloniæ Regis

gis filius, contemptâ sæculi pompâ, Societatem Jesu ingreditur, sed ex eâdem ad purpuram iterum extrahitur, qui tamen nec Jesuita, nec Cardinalis, sed postea Poloniæ Rex ad magnas calamitates & clades reservatus est.

Barberini nepotes Urbani quondam potentissimi ab Innocentio successore exagitati confugiunt in Galliam.

In Anglia Farfaxius obsidere parat, Oxonium, quare Rex Britannia fugit, mutatâ veste in castra Scotorum apud quos tanquam gentem suam tutiorem se fore, existimabat. Occupat Farfaxius Oxonium, & Jacobum secundo-genitum Regis, & Ducem Eboracensem in triumphum adducit Londinum. Exinde rebelles in Britannicis Insulis omnia potuerunt.

✱(1647.)✱ Tumultuatum est hoc anno in utriusque Sicilia regno, sed Neapolitanæ turbæ graviores & diuturniores fuerunt. Exortæ sunt illæ propter vectigalia imposita minutis rebus, ut pomis & oleribus, quæ ut aboleret, & privilegia Ferdinandi ac Caroli V. servanda curaret, se patriæ liberatorem professus est vilis homuncio Thomas Agnellus (Mafamelum vulgò appellabant) Hic stipatus plebe omnia vectigalia sustulit, & ut

Q²

idem

idem præstarent Pro-Rex & Archi-Episcopus, vi & armis impulit. Cæterum, compositis rebus, se dementem esse docuit, quare cæsus est à quatuor nobilibus, ut insanire desineret: eo cæso nihilominus duravit tumultus, dum nobilitas quæque postulat vectigalia imminui, quare ad turbas illas fovendas emissus ex Gallia Guisus, quamdiu potuit, easdem fovit.

Vrangelius longè latèque Germaniam cum Svecicis copiis peragrat, & demùm, inito cum Bavaro fœdere, redit in Bohemiam, ubi Egram urbem capit & movet in Cæsarianos, quare defuncto Galassio substituitur Melander, quem Bavaricum fœdus valde anxium & turbatum reddidit: Vrangelius tamen in Hassiam revertentem secutus, Marpurgum expugnat, arce tamen non pariter captâ, ex qua ipsi & Marchioni Badensi grave periculum accidit, septem tormentis in eorum domum (simul enim degebant) eodem momento explosis, quibus ambo graviter sauciati sunt, igitur urbs militi diripienda relicta, ut saltem hosti minùs utilis esset.

Ferdinandus IV. Archi-Dux Austriæ, Cæsaris Ferdinandi III. filius in Regem Hungariæ coronatur.

In Belgio Leopoldus Archi-Dux recuperat Armenterium & Landrecium.

Hollandi pacem petunt & impetrant a Rege Catholico, retentâ novæ Reipublicæ formâ post 80. annorum rebellionem.

In Dalmatia Veneti prosperè bellum gerunt cum Turcis.

Carolus Rex Angliæ à rebellibus Calvinianis Scotis proditoriè, & auro venalis captivus Londinum deducitur: sed ille inde profugit ad Insulam Vestam.

Henricus Fridericus Princeps A rausicanus vitâ functus in Præfecturâ militari Ordinum Belgicorum locum dat filio Guilhelmo, & Christianus V. Daniæ Rex regnum relinquit successori fratri suo Friderico Episcopo Bremensi. Denique Casimirus Elector Moguntinus moriens successorem habet Joannem Philippum Episcopum Herbipolitanum.

(1648.) Vrangelius hoc anno in agro Brunswicensi & Mindensi refectus copiis, receptoque cum septem millibus armatorum Turenio, primo vere Danubium trajicit, & non procul Augustâ Vindelicorum congressus cum Cæsareis, Bavaris cunctantibus. illos in fugam conjicit. In illo prælio lethaliter vulneratus Melander Dux obiit Augustæ, inde totâ pænè Baviariâ potitus est Vrangelius, Lyco & Isarâ fluviiis transitis, Oeno tantum repres-

sus est, paulò post tamen fortius à Picolo- mineo retusus, qui Melandro substitutus est, & à Joanne de Werdt, qui frænum fuit licentiæ Svecorum. Königsmarckius post cæsum Melandrum in superiorem Palatinatum ingressus, inde in Bohemiam irrupit, & primo impetu arcem Pragensem & parvam urbem occupavit, potitus in arce maximis thesauris: sed ab urbe novâ & vetere fortiter rejectus est ab urbis Præfecto Colorado, cui sicut & Svecis venere auxilia: sed pace mox firmatâ neutris profuturâ.

Feliciores fortunâ usus intereâ Lambojus pugnavit pro Cæsare, & vicit Ernestum Landgravium Hassiæ, & commisso prælio apud Gaisecam urbem cepit: sed insertâ secundâ pugná cum Hassis, eis Cadmæam victoriam cessit.

Marte in Germaniâ victorias alternante, Ferdinandus III. ad secundas nuptias transit, & ducit Mariam Leopoldinam Leopoldi Archi-Ducis Tyrolensis filiam. In Germania tandem aliquando pax inter Cæsarem & Svecos, iisque adhærentes concluditur Monasterii in Westphalia post triginta annorum cruentissimum bellum 9. Kalend. Novembris promulgata, & sequenti die publicata. Pax neque Imperio,

perio, neque Ecclesiæ utilis & gloriosa, nam Gallus, Svecus, Hassus & Brandenburgicus hac pace pro se correperunt, hinc quia nimium Protestantibus indultum fuit, & conditiones religioni Catholicæ noxiæ videbantur, eidem à Fabio Chisio Legato Apostolico apertè contradicium est. Pax tamen necessaria fuit, & haud repudianda, ut partium amissione Germania tota ab interitu servaretur, nec penitus consumeretur, per tot jam annos gravissimorum pressa & debilitata mole bellorū.

Condæus vir acer consilio & fortis manu ad Lentium parvam urbem exercitum Leopoldi Austriaci profligat, & omnia impedimenta & tormenta bellica obtinet.

Poloni bis profligati à Bogdano Chmelincio cum Cosaccis, ac deinde cum Tartaris conjuncto.

Archidux Austriæ Leopoldus Cortracum Gallis, Condæus autem Ipras eripit Hispanis.

Parisiis Parlamentum insurgit contra Mazzarinum & Regem.

Ibrahimus Turcarum Imperator militans Janitzaris, ab iisdem chordâ arcibus præfocatur. Moritur quoque Georgius Ragotzkus Princeps Transylvaniæ.

Moritur item Rex Poloniae Uladislaus IV. amisso prius unico filio Sigismundo, cui proinde frater ejus Casimirus ex Jesuita factus Cardinalis, & nunc Rex Poloniae succedit

Carolus Rex Angliæ ex Insula Vectæ Londinum captivus reducitur.

✽(1649.)✽ Hic annus parricidium protulit omnibus gentibus, & omnibus sæculis execrandum, quod ita contigit: Carolus Angliæ, Scotiæ & Hybernæ Rex ad Scotos confugere coactus ab his pecuniâ venditur Anglis rebellibus, additis tamen conditionibus, videlicet, ut Angli Regi suo primo quoq; tempore dignitatem restituerent, nec ipsi regnum adimerent, auferrent tamen illi ad libitum, & contra patrias leges imperandi voluntatem. Et cum his conditionibus exceptus est a summo rebellium duce, Thoma Farfaxio perhonorificè, indèque translatus in Insulam Vectam, arcemque Caresbrochiam, nihil præter libertatem poterat desiderare. Interim agebatur cum eo de conditionibus pacis, cùmque nihil propius esset, quàm ut emitteretur, militiæ Principes, atque ex iis gemina Angliæ funera Farfaxius & Cromvellus, libellum supplicem offerunt Parlamento, quo de mul-

multis criminibus Rex accusabatur. Eorum hæc erat summa : accendisse civile bellum, Parlamentum opprimere voluisse, externa quæsisse auxilia, Germanos equites, pedites Hybernos conscripsisse, imposuisse urbibus præsidia, ceremonias Papisticis similes induxisse, imperasse gravissima vectigalia & portoria, promisisse Scotis quatuor Provincias Angliæ Boreales & Londini direptionem, si vel Parlamentum tollerent, vel ejus auctoritatem abjicerent. Cùm huic libello non responderetur, Farfaxius & Cromvellus cum exercitu Londinum advolant, & urbe recepti ex Parlamento sibi suspectos fautores Regis ejiciunt, ac Carolum ad judicium adducendum curant. Et quid plura? fertur in eum capitis sententia, & triduum, ut se ad mortem paret, conceditur. Hoc evoluto tempore constituitur theatrum, & in eo Regi per duos tortores personatos securi caput abscinditur. Posthæc tollitur penitus Parlamenti pars melior & prima, dicta *Superior Domus*, ex Proceribus regni conflata, & retinetur tantùm altera, dicta *Inferior Domus*, quæ Legatos populorum & urbium continet. Ex iis delecti quadraginta viri constituendæ Republicæ gratiâ, qui cœtus *Consilium Statûs* appell-

E

appel-

appellatur, eique præficitur Olivarius Cromvellus, vir magni planè ingenii & insignis nequitiae. Eidem Cromvello committitur bellum Hybernicum, superatur ab hoc Ormontius Hyberniæ Pro-Rex & Regii Ductor exercitûs, qui dum Dublinum obsidebat, Cromvellus superato Ormontio non tantum Dublini obsidionem solvit, sed & reliquas urbes jugum novæ Reipublicæ subire & servire cogit. Quibus auditis Scoti jam regiæ proditiōnis pœnitentes, Regem suum acclamant Carolum Walliæ Principem, qui cum fratre Duce Eboracensi versabatur in Hollandia, eumque missâ legatione ad regnum & simul ad magnum discrimen accersunt.

Veneti feliciter pugnant contra classem Turcicam sub Præfecto Jacobo de Riva, qui in portu Foggiano deprehensam Constantinopolitanam Africanæ & Rhodiensî classi conjunctam tormentis appetere cœpit, & quinque naves hostiles depressit, cùmque navis præcipua & maxima plena pyxidibus pyrobolariis flammam concepisset, centurio Jacobus Santorinus ad eam enavit, funes præscidit, eamque inflammata in Turcicam classem immisit, & incolumis ad suos rediit, Turcarum autem multi flammis absumpti, plurimi fluctibus

stibus hausti, & Jacobus audaciæ suæ magnam à Senatu præmium retulit.

Cùm anno superiore populus Parisinus tumultuatus esset propter captum Brusellum, eumque armatâ manu in libertatem à Regina matre & filio Rege restitui petivissent, & violentè extorsissent, puduit Reginam Galliæ magni animi fœminam, Deoque confidentissimam cum filio Rege à populo Parisino insolenter grassante, quasi captivam teneri, & ad libitum ejus regi, qui obedire deberet; itaque suscepit consilium plenum audaciæ, & se, Regemque subduxit, & non totis decem milibus armatorum, Duce Condæo, Lutetiam ita conclusit, ut nusquam commeatus tanto populo necessarius inferri posset: & fuisset nihilominus annona sufficiens malignè suppeditatas, modò omnes ad diem vivere voluissent, sed dū seposuerunt quidem cibaria metu futuræ penuriæ, præsentem inopiam induxerunt. Itaque malis, fameque domita plebecula, infantes morituros ostentans, pacem petebat, & ferociam suam atque insolentiam damno suo dedocta à Rege obtinuit, & tumultus Parisini conquievêre.

Ibrahimò Turcarum Imperatore à Janizaris anno priore interempto ejusdem filius

lius Mahometes annorum sedecim successit in Imperio.

Anna Archi-Ducissa filia Cæsaris desponsata Regi Catholico transit in Hispaniam.

Carolus Dux Mantuæ ducit Isabellam Claram Archi-Ducissam Ænipontanam.

In Polonia inauguratus Rex Joannes Casimirus ducit relictam fratris sui Aloysiam Mariam, ut bis Regina diceretur, moxque in Cosaccos & Tartaros movet, qui ad 300. millia concreverant, & magna virtute ingentem stragem edit, quæ perculsi pacem rogârunt, quæ illis ita concessa est, ut numerus Cosaccorum ad 40. millia revocaretur, aliaque iis imposterum continendis fræna injecta.

✠(1650.)✠ Cæsar tertiis nuptiis desponsat sibi Eleonoram Gonzagam Sororem Ducis Mantuæ.

Veneti adversus Turcas in Creta Insula prosperè certant.

Coronatur mense Octobri Regina Sveciæ Christina, magnificentissimè explicatis Germaniæ spoliis. Huic destinabatur sponsus Carolus Gustavus Palatinus, sed caelebs illa vivere decreverat.


Innocentius X. summus Pontifex Jubilæum Romæ celebrat magno concursu Chri-

Christianitatis, damnat idem Germanicam pacem quã novus Electoratus constitutus erat, & Ecclesiæ bona abalienata, quæ fieri debuisse se inconsulto negabat.

In Anglia Regia dignitas aboletur dejectis statuis Jacobi & Caroli tanquam Regiæ tyrannidis monumentis, multi affecti supplicio aut in exilium abacti, qui Regiæ auctoritati favebant, Olivarius Cromwellus cum 10 millibus armatorum movet contra Scotos, quos collatâ acie vincit quidem, illi autem Sterlinum se receperunt, quam urbem milite refertam victor aggredi non est ausus.

Iterum turbæ concitantur Parisiis quorum causa fuere tres Principes Condæus, Contius & Longavilleus in custodiam dati, auctoribus ut existimatum est fœminis, consilii tamen arbitro Antistite Corinthiaco hoste Condæi denunciato, qui stimulis ultionis & gloriæ incitatus tres uno impetu talesque viros includendos curavit, fecitque ut eo die quo Principes inclusi sunt totâ urbe festi ignes excitarentur, Principum tamen eliberationem urgebant tumultus mox in Aquitania excitati, neq; Burdegala rebellans aliter se dedit obfessori Regi, & Reginæ nisi hac conditione, ut Condæa mater cum filio secura dimitte-

mitteretur ad montem rotundum, & libertas captivo Condæo brevi restitueretur, prius quamprimum executioni datum, non item posterius, actum tamen est, quam lentius de Principibus liberandis.



DE CAS VI.

✽ *(Ab anno Christi 1650. ad 1660.)* ✽

1651. **I**N Hungaria parvum Comorinum
✽ **I**a Turcis irritò conatu impetitur.
Cæsar Ferdinandus Neostadii nuptias celebrat cum Eleonora Mantuana.

Marchio Brandenburgicus in Montensem regionem hostiliter ingressus Ducem Neoburgicum ad arma cogit, & quanquam collectæ jam fuerint utrimque magnæ copię, pax tamen confecta est per delectos à Cæsare feciales arma Cæsaris illi intentantes, qui pacem non acceptaret.

Carolus Scotiæ Rex consecratus confecto numerofo exercitu amissum à parente suo cum vita regnum recuperare nititur, & Cromvellum dejicere: Verùm Cromvellus properanti cum Scotis ad Londinum obsidendum, iter ei abruptit, commissoque prælio Scotos omnes profi-

gavit

gavit, magnâ parte Scoticæ nobilitatis cæsâ, & eodem impetu cepit Vigornum urbem, ex qua Rex Scotiæ fugit per adversam portam in veste plebeja, factus iterum sine regno ac subditis, & quidem ut melius lateret, fugit inter Anglos metu mortis semper animo obversante, donec Deppam & Francicum littus attigit, & in Galliam fugit.

Veneti feliciter contra Turcas bellum continuant.

Joannes Casimirus Rex Poloniæ prope Caminiecum insigni victoriâ potitur de Cosaccis & Tartaris, cujus prælii spectatores simul & actores utrimque fuere hinc Tartarorum Chamus, & inde Poloniæ Rex Casimirus cum lectissima Poloniæ nobilitate.

Mortuus est hoc anno Maximilianus Elector Baviaræ Dux ætatis anno septuagesimo octavo, Vir ex æquo religiosus & prudens, & supra reliquos Germaniæ Principes bene animatus in Catholicam fidem. Reliquit filios duos Ferdinandum Mariam, & Franciscum Ignatium, hunc Paternæ virtutis, illum insuper Principatus hæredem, qui duxit Adelaidam Sabaudia Ducis Sororem, in qua virtus cum forma certavit.

In

In Gallia Condæus Conzius & Longavilleus captivi tres Principes, sic urgente contra Mazzarinum Cardinalem plebe & Senatu, libertati à Rege & Regina restituntur, & magno applausu à populo Parisiensi excipiuntur, illatam, dum caperentur accensorum festivorum igni injuriam sic compensante. Mazzarinus autem compellitur exesse è regno Galliaë invitâ licet Regina & Regio filio. Secedit proinde Coloniam, nihilominus & inde gubernat & regit consiliis suis aulam Gallicam, à Parlamento tamen proscribitur appositis sex millibus aureorum qui eum occideret. Interea quoque ejusdem Bibliotheca, quâ nulla ferè in Europa fuit libris instructior magnis impensis ab eo comparata, Senatûs jussu magno litterarum damno distrahitur.

Ludovicus XIV. Rex Galliarum anno ætatis suæ 14. die septimo Idus Septembris ascendit magnificè & regiâ pompâ in Senatum sui juris arbiterque regni pronunciandus, atque magna diei hujus celebritate regni gubernacula capessit, & quanquam universa Galliaë nobilitas huic solennitati adesset, defuerunt tamen Condæus & Conzius, quorum absentia omnium oculis observata & linguis memora-
ta, &

ta, & quærentibus quidem causam absentia responsum fuit ab amicis & fautoribus eorum, metum mortis aut carceris arcuisse eos Regis Palatio, illi autem disseminatis his rumoribus in Provincias sibi commissas abierunt, Conzius Biturigas, & Condæus Burdegalam & mox bellum civile Gallia intulerunt & incendium excitarunt, quo ferè Gallia conflagrasset, Hispanis ad has flammæ propagandas egregiam operam rebellium furori & vindicandi cupiditati navantibus, sed & fortissimis Gallia Ducibus ad erumpentem tum Aquitanici tum Catalaunici belli flammam utrinque restinguendam a Rege protinus emissis haud impedire valentibus, quia Barcinona & varia sociæ urbes à Rege deficerent & cum Gallici nominis dedecore Hispanis sese proderent, & rebellium vires corroborarent.

✽(1652.)✽ Hujus anni in initio Ludovicus Rex Cardinalem Mazzarinum Coloniam revocat in aulam, rediit igitur ille Parisios victori similis stipatus tribus Polemarchis & leatissimis copiis, quibus tamen Principes vias obstruere potuissent vel pontes, qui transeundi erant, abrumperem, maluerunt tamen liberum reditum permittere, quam violentam oppositionem Regi
contra

contraniti : Interea Harcurius in Aquitania persequitur Condæum, non semper secundo Marte uti alias pro Rege confueverat, nunc pro se & sua causa præliantem. Veris initio incendii civilis flamma penetravit in ipsa præcordia Galliæ, Nemursius enim & Bellofortius jam ad montem Argium sub auspiciis Ducis Aurelianiensis eduxerant, quo audito Condæus rem Aquitanicam reliquit Conzio fratri, emensaque magnâ Galliæ parte ignotus intravit Lutetiam, ea ibi occultè transacturus, quæ ad bellum promovendum & ipsam Lutetiam belli maximi sedem faciendam opportuna visa sunt, si penes illum solum belli hujus administratio stetit. Multum laboris atque periculi Condæus subiit Parisiis sed effectu tot difficultatibus non correspondente, igitur ad Principum copias extra urbem prope Argium montem reversus est. Quod cum Ludovico innotuisset Principum exercitum imminere & urbi jam propinquum esse, a suis invadi & cædi imperat, & fortè exiis nemo superfuisset, nisi Condæus præfuisset, ille enim copias confederatorum obruendas numero regionum conspicatus sapienter in S. Antonii suburbium eas subduxit, easque domibus & hortorum muris

seu
tex
ve
Re
ma
inc
me
lit
Ar
re
in
to
ci
su
fe
c
p
P
q
r
t
g
v
n
v
c
l

seu

seu veriùs suâ fortitudine ac prudentiâ
textit, pugnatum est à summomanè usq; ad
vesperam, obstinatissimè, dum hinc oculo
Rex, & inde Condæus etiam pugnaret
manu, & Dux & Ordinum ductor & miles,
inclinante in occasû sole saltem Regii nu-
meros superiores erant, cum in Regios mi-
lites Bastilia detonans (arci ad portam S.
Antonii hoc nomen est) eorum impetum
retudit, neque omnia, ut creditum erat,
in urbe stare à Rege significavit. Hæc
tormenta bellica collibranda curârat Du-
cis Aurelianensis primogenita filia, virgo
supra sceminam fortis, quæ insuper per-
fecit eloquentiâ suâ populari, ut Condæi
copiis jam valde debilitatis pateret vicina
porta & victoribus Regiis eriperentur,
Principum milites atque impedimenta,
quæ porta si clausa permansisset, uti spe-
rabatur, hoc die sine dubio Regius exerci-
tus bellum civile profigasset.

Quarto ab hinc die cædes Parisiis lon-
gè funestior est edita, quâ non milites, sed
viri sapientes & boni crudeliter interie-
runt. Cum enim ad domum Urbanam, ut
vocant, plerique honesti ac cordati cives
convenissent, malis quibus urgebatur ci-
vitas remedium quæsituri, eos adorti mi-
lites permixti operis ac mediastinis, pu-
gioni-

gionibus, sclopis, fustuario inermes mactaverunt, unde ingens in totam urbem, & in multas ac magnas familias luctus redundavit. Et hac cæde quam Principes videbantur vel imperasse, vel cum facile possent non impedivisse, effectum est, ut boni omnes à Principibus velut ab improbis & publicæ tranquillitatis turbatoribus refugere inciperent, unde passim ad Regem concurrebant, sed occultè, quò minus enim id aperte fieret, metus impediebat, quia Senatûs Parisiensis pars non melior sed major repugnabat, & eo freti Principes sui exercitûs reliquias continebant, ne loquerentur de pace, demum tamen prævaluit vox libera populi pacem exoptantis, & metum omnem discussit Regis prudentia. & in pace concedenda facilitas, ad eum enim cum accessissent Legati Parisienses, tantâ amoris significatione recepti sunt, ut tam boni Principis aspectu neutiquam carere ultra vellent. Re igitur Principum nondum composita designatus est dies recipiendo in urbem Regi, qui fuit dies 12. Kalend: Novemb. & Condæus quidem & Dux Aurelianensis cum filia eum diem operiri noluerunt, sed maturè excesserunt. Eandemque aulam subierunt quidam ex Senatoribus extra teli

teli jactum præproperâ fugâ sese consti-
tuentes. Et Condæus quidem ad Hispan-
nos se contulit, & ut ostenderet quid in
se Gallia perdidisset, mox aliquot urbes
cepit. Sic didicit Gallia quod nunquam
civilibus motibus gratis insaniverit, Hispa-
nis nunc operâ & peritiâ potissimum Con-
dæi tum in Catalonia, tum in Flandria
complures munitiones occupantibus.

Ernestus Landgravius Hassiæ, & con-
jux ejus Eleonora Maria Comitissa Sol-
mensis fidem Catholicam amplectuntur.

Hoc anno ægrè restitutum est Frideri-
co Palatino Franckenthalium, idque non
nisi numeratâ præsentî pecuniâ.

Batavi adversus Anglos parant ingen-
tem classem sexcentarum navium, qua-
rum singulæ triginta minimum tormen-
ta bellica deferrent, cujus præfectus erat
Herbertus Trompius Navalium Ducum
hujus ætatis præstantissimus hoc apparatu
Batavi sibi Pelamidum & halecum piscatio-
nem vindicare cupiebant, quam sibi Angli
arrogabant, sed & Angli triplicem exer-
citus comparant Anglicanum Scoticum
& Hibernicum, sic enim respublica illa
nascens exigebat ne in cunis opprime-
retur.

Cosacci iterum rebellant in Polonos &
gravi

gravi strage eos afficiunt, sub finem autumni locustæ herbas & radices arborum absumunt in Polonia, inde anno sequenti fames & pestilentia in hoc regno grassata.

In Hungaria Turcæ mense Augusto magna Christianorum clade in comitatum Nitriensem irrumpunt. Cæsar autem Ratisbonæ Comitia indicit.

Martinus Martinius è Societate JESU Romam venit è Sinis ablegatus à Regina & filio ejusdem primogenito jam baptismo ablutis. Hic porrò Martinus vir ingenio maximus Atlantem Sinicum & historiam gentis hujus magno eruditorum plausu & voluptate in Europa divulgandum curavit.

✱(1653.)✱ Cardinalis Mazzarinus in Campania cum Regio exercitu prospere bellum gerit.

Angli & Hollandi, illi Draco, hi Trompio præclarissimis utrimq; Ducibus navibus per duos dies in mari certant, & deniq; Trompio ictu tormenti bellici discerpto, penes Anglos stetit victoria, & ab his pacem Hollandi petere coacti sunt.

Cromvellus cum exercitu Londinum accedit, seque supremum Protectorem regni in posterum dici imperat, & dejecto mox Parlamento sub nomine Protectoris Regiam potestatem usurpat.

Chri-

Christinâ Reginâ Sveciæ matrimonium recusante, Sveci in Regem eligunt eidem successorem futurum Carolum Gustavum Palatinum.

Ex levibus initïis Catholicos inter & Zwinglianos Helvetios grave bellum oritur & duobus annis continuatur, quod demum Galliæ Regis auctoritate componi debuit.

Veneti classem Turcicam vincunt.

Ferdinandus Franciscus IV. filius Ferdinandi III, Archi-Dux Austriæ, Hungariæ & Bohemiæ Rex in Regem Romanorum eligitur Augustæ Vindelicorum.

Galli Gerundam Catalauniæ obsident, sed frustra; propè Salsulas autem Hispanos profligant. Burdegalenses autem auxilia contra Regem Ludovicum exposcunt ab Hispanis & Hollandis, sed non impetrant; unde pacem cum eodem inire coguntur.

Turcicum Imperium turbatur, verùm de more tumultus iste paucorum Procerum cruore extinguitur.

Innocentius X. quinque propositiones Jansenistarum, auctore Jansenio Yprensi Episcopo, editas damnat.

(1654.) Ferdinandus IV. Rex Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ, anno ætatis

ætatis 20. ex pustulis moritur, magno lu-
 turei Christianæ.

Carolus Dux Lotharingæ Hispanis ac
 Gallis suspectus Bruxellis deprehenditur
 & Antwerpiam deducitur.

Regina Sveciæ Christina se regno pa-
 terno abdicat, quo eodem die Carolus Gu-
 stavus Upsaliæ in Regem Svecorum coro-
 natur, & tum Edwigem Eleonoram filiam
 Principis Holfatiæ uxorem ducit, Christi-
 na autem venit in Belgium & Bruxellas,
 ubi ab Archi-Duce Leopoldo magnificè
 suscepta, Lutherum privatim ejuravit, &
 Catholicam fidem professa est, quam edo-
 cta per Joannem Baptistam Guemes Do-
 minicanum, qui in Svecia dissimulato cultu
 eidem ab epistolis fuerat, & à secretis,
 quæ tum primùm vulgata sunt.

Moschi ditiones Polonicas invadunt, &
 mox Smolenskum obsidione cingunt & ex-
 pugnant.

Brema à Königsmarckio obsidetur, &
 deditioe factâ ad Svecos transit.

Angli pacem cum Batavis confirmant,
 sic rebus suis optimè consulente Cromvel-
 lo, quem omnes fermè Europæ Principes
 tanquam Angliæ Protectorem missis Lega-
 tionibus cohonestant, quia in aliis inter se
 valde discordes in tantum nihilominus de-

decur

decus convenire potuerunt. Cùm igitur Cromvello jam nihil deesset, præter nomen Regis, 300. satellites sclopis armatos sibi corporis sui custodes adhibuit, in odiũ autem Regum *Majestatis* appellationem constanter rejecit, admisit tamen *Celsitudinis*. In eum ab hoc tempore multæ sunt exortæ conjurationes, sed inanes.

Ludovicus XIV. Galliaë Rex Rhemis coronatur.

Hispani ab obsidione Atrebatu, quam arte Condæus jam presserat, magnâ clade repelluntur.

In Aquitania Conzius pertæsus belli ad obliterandam penitus superiorum temporum memoriam Martinossiam ducit uxorem, factus ex hoste Mazzarini nepos, cujus sanguis his nuptiis cum sanguine regio miscebatur.

(1655.) Innocentius X. Pontifex moritur, cujus honori & existimationi nihil obfuit, quam Olympia Maldachina uxor fratris ejus, quam cùm nimis posse, passus est, in suspiciosa gente calumniarum materiam non satis prudenter visus est declinare. Innocentio defuncto Cardinalis Fabius Chisus Senensis succedit, dictus Alexander VII.

Leopldus Ignatius Josephus Archi-Dux

R

in

in locum defuncti fratris Ferdinandi IV
 anno ætatis 15. completo Rex Hungariæ
 Posonii inauguratur præsentibus quinque
 millibus de præcipua nobilitate Hungari-
 ca. Circa hanc coronationem memora-
 bile id accidit: Supremus urbis Buden-
 Moderator Turcicus (quem illi Vezirius
 vocant) ante ingressum Cæsarei Legati
 se supra torum ægotantis in morem ob-
 ligato capite collocavit, intromisso Cæs-
 fareo Legato, atque coronationem Leo-
 poldi in Regem Hungariæ exponenti re-
 posuit (alludendo ad morem Regum
 Hungariæ post coronationem in vibranti
 cruciformiter gladio per quatuor mundi
 partes) hanc se coronationem præsentibus
 tam validè enim novum Hungariæ Regem
 eâ die gladium vibrâsse in aère, tanquam
 feroces ictus edidisse, ut durante etiam
 num ex ictibus illis capitis dolore, æge-
 rocumbere cogeretur. Hic quidem fati-
 casmus fuit à Barbaro, sed præsagium
 nul non inane secutorum eventuum
 quando victoriosissimus Rex Hungariæ
 Leopoldus percussit, & ferè etiam cor-
 trivit capita inimicorum suorum.

Christina Regina Sveciæ ex Belgio
 niens in Italiam Æniponti publicam
 tholicæ fidei professionem facit, ita su-

dente Pontifice, ut posset illam in ditione Ecclesiastica tanquam Catholicam excipere cum summis, ut par erat, honoribus. Cùmque Regina propè accessisset ad Laurentanam Beatissimæ Virginis ædem, reliquum itineris, quamvis valdè lutulenti & fat longi, pedes confecit, obtulitque Reginae cœli coronam & sceptrum pretiosissimis gemmis referta.

Ludovicus XIV. Rex Galliaë decreto edito excludit ab officiis aulae suæ sui que fratris omnes Hugonottas.

Carolus Gustavus Sveciæ Rex infestat Poloniam, & magna ex parte occupat, primâ jam acie victis Polonis. Poloni ad has angustias redacti (nam eodem tempore & à Moschis in Lithuania, & à Cosacis in Russia gravissimè premebantur) recurrunt ad Georgium Ragotzzium Transylvaniae Principem, ejusdemque filio regnum offerunt post mortem Casimiri, si auxilio sibi esse vellet, & filium à se in Catholica religione educari permetteret; verùm, ita suadentibus Calvinianis ministris, hanc oblationem respuit, & Poloniam insuper ipse quoque hostiliter invasit; sed brevî hujus temeritatis pœnas dedit, amisso toto exercitu à Tartaris abducto, & Transylvaniae Principatu perduto: cujus filius nihilominus postmodum Catholicam

fidem amplexus est, non jam regni terrenis, sed cœlestis amore.

Francus & Anglus pacem contra Hispanum ineunt.

Rex Catholicus filium suum hæredem Monarchiæ declarat.

Lotharingi, qui hætenus Hispanis militabant, nunc sub Duce Francisco ad Gallos transeunt cum aliquot legionibus.

Hoc anno 6. Martii nata est Eleonora Magdalena Theresia, moderna Augustissima Imperatrix.

✽(1656.)✽ Leopoldus I. Archidux Austriae, & jam Rex Hungariæ in Regem Bohemiæ coronatur, uti & Eleonora Gonzaga Imperatrix, Conjux Ferdinandi Cæsaris

Rex Sveciæ Mariæburgum occupat.

Veneti sollicitant Moschos & Cosaccos contra Turcam a Creta & Dalmatia divellendum.

Tartarorum quinquaginta millia Polonis veniunt in auxilium contra Cosaccos, quorum ope illi iterum ad obsequium Regis Poloniæ rediguntur; vires quoque contra Svecum resumunt.

Pestis grassatur in Italia, & magna pars hominum in regno Neapolitano depopulatur, & quia Neapolitanis sensit patrocinium S. Xaverii, eundem Patronum Urbis eligunt, sollemnissimam pompâ adornatâ.

Inter Helvetos Zwinglianos & Catholicos per Legatos Francos, Hispanos, Batavos & Sabaudos pax reconciliatur.

Joanes Austriacus fit Gubernator Belgii. Moritur Georgius Saxoniae Dux & Elector, cui succedit Joannes Georgius ejus primogenitus.

Galli in Italia occupant Valentiam, Valentias autem in Hannonia frustra tentant fortissimè Hispanis resistentibus.

Joannes Rex Lusitaniae moritur, cui succedit ejusdem primogenitus Alphonsus.

Pax inter Gallos & Anglos formatur, bellum autem inter Anglos & Hispanos erumpit.

Pontifex laborat pro pace inter Regem Christianissimum & Catholicum concilianda.

In Anglia quanquam armis & scriptis ubique Cromvellus impeteretur, prevaluit tamen, & quem per vim & injuriam consecutus erat Principatū, corroboravit, exteris amicitiam ejus & foedus ambitiosè prensantibus.

DE TREMENTIUM SIVE QUACQUERORUM SECTA.

ANNO 1656. orta est in Anglia hac secta Tremantium (Angli voce patria Quacrios sive des Quaquers vocant) quod inter orandum

dum toto corpore contremiscerent. Eorum au-
 tem Rex & parens fuit Jacobus Naylos, qui insidens
 equo in urbibus ac pagis instar Prophetæ exci-
 piēbatur, populis huic obviam effusis, & de religio-
 se, & pueris Osanna occinentibus.
 Verum hic Prophetæ tandem jussu Cromwellii
 ptus & egregiè verberibus per compita exceptus
 est usque ad sanguinis effusionem, cessantibus
 tandem tortoribus, vel ex defatigatione vel com-
 miseratione.

✽(1657.)✽ Nascitur die 1. Februarii
 Ferdinandus Aloysius Josephus Archidux
 Dux Austriæ, frater Augustissimi Cæsaris
 Leopoldi.

Die 14. Februarii Archidux Austria
 Leopoldus Ignatius (nunc Cæsar glorio-
 sissimus) primâ vice cum Augustissimo
 Parente suo Ferdinando III. interest arca-
 no consilio: Ut novus Imperio jam tunc
 assuesceret hæres. Claud:

seCVnDâ aprILIs Manè, moritur
 Viennæ Ferdinandus III. Parens Augustis-
 simi Leopoldi, dignus, si ullus, immor-
 talis famæ elogio, sed: Virtutes Successoris
 gloriosissimum sunt defuncti Principis Epita-
 phium.

Leopoldus Rex Hungariæ, sub Duce
 Hatzfeldio, Polonis mittit auxiliarem ex-
 ercitus, qui numerabat novem millia
 septima

septingentos peditum, & sex millia, octingentos equitum, quibus Poloni feliciter utuntur contra Svecum & Ragotzkium Transylvanum, unde & Sveci Cracoviâ discedere coguntur, contra quos fortius adhuc foedus initur inter Austriacos, Polonos, Danos, & Brandeburgicum.

Incipit ex variolis graviter ægrotare Leopoldus Hungariæ & Bohemiæ Rex, anno ætatis suæ 17. sed superat feliciter, magno gaudio subditorum, qui illud tunc dicebant Leopoldo, quod olim Plinius Trajano: *Non te distinguimus votis, non operamus, non honores, simplex & cuncta ista complexum unum omnium votum est salus Principis.* Plin: 2. Paneg: Trajani.

Die 16. Julii Leopoldus Rex Hungariæ & Bohemiæ abiit Viennâ Francofurtum ad coronationem, & Pragam venit die 27. Julii, ubi per sex menses moratur, & die 11. Octobris Aureum vellus suâ manu imponit Principibus Gonzagæ, Portiæ, & Martinitio Comiti, hoc addito Epiphonemate: *Cum portent Agnellum aureum in pectore, sint memores Agni, qui nos redemit, cujus fidem contra Barbaros & sectarios semper propugnent.*

Turcæ Teneton Insulam Venetis eripiunt, eandemque sortem experta est Insula Lemnos.

Alexander VII. Venetis pecuniâ & milite succurrit contra Turcas, quâ liberalitate devinctam sibi rempublicam impulit, ut Societatem Jesu, jam ab initio hujus sæculi propter Romanam Sedem ab omnibus Venetæ ditionis urbibus exulantem reciperet, nimis enim altè sedebat animo Senatoribus nunquam eos admittere iterum, à quibus semel deserti essent, etiam non viderentur sibi à viris sapientibus, & bene in Rempublicam affectis in controversia illa cum Pontifice exorta deserendâ & tam intererat Romanæ Sedis, quam Societatis hanc sententiam immutari, idque sibi cordi esse tam publicè, quam privatim, tam sæpè significabat Alexander, ut Veneti Pontificem optimè de Republica meritum non amassent, nisi votis ejus subscripsissent: fecerunt autem hæc tantâ obsequii significatione, ut dubites, utrum ardentius rogârit pater, an filii demissius tam boni parentis precibus obtemperarint. Quare refixum est cum magnâ suffragiorum consensione decretum, Jesuitæ ubique tam splendidè recepti, & tam amicè, ut jam de exilio conqueri non possint, & videantur tantum ab eâ ditione abfuisse diutius, ut humaniùs in reditu recipere-
rentur & colerentur.

Galli

Galli obsident in Flandria Cameracum, sed præsentia & fortitudine Condæi urbs illa munitissima Flandris servatur. In aliis urbibus expugnandis victorias modò pro Gallis, modò pro Hispanis alternat, Fortuna. Sub finem autem hujus anni periculosissime ægrotavit Condæus in Flandria, & tunc quidem, quantumcunque inter se Franci & Belgæ dissiderent, convenère tamen in id unum, ut Condæo precibus ardentissimis valetudinem à DEO impetrarent.

Ludovicus XIV. Jansenianorum sectam jam à Summis Pontificibus, Cleroque Gallicano damnatam, Parisiensis Senatûs decretis exterminandam objicit, ut qui hætenus Romana fulmina riserant, in Regis Christianissimi ditone bruta non esse, experirentur. Effecere tamen suâ calliditate & tergiversationibus, ut saltem impune laterent, & commodiora suis spargendis erroribus tempora non insipienter operirentur.

Urbs Monasteriensis ab Episcopo loci arcte obsidetur & expugnatur.

(1658.) Leopoldus Ignatius Archidux Austriæ, Rex Hungariæ & Bohemiæ anno ætatis decimo octavo Francofurtum ingreditur ad suam coronationem, & die

R 5 deci-

decimo octavo Julii contra æmulorum
conatus, Deo ordinante, eligitur in Re-
gem Romanorum Francofurti, & die
Augusti ibidem coronatur, die septimo
ejusdem mensis homagium illi præstatum
à Senatu & civibus Francofordiensibus,
& inde discedens atq; Herbipoli transiens
(ubi à Joanne Philippo tunc Electore
Moguntino ac Episcopo Herbipolensi &
Franciæ Orientalis Duce magnificè &
splendidè, prout Imperatoria Dignitas
exigebat, exceptus, & triduo moratus
est) Norinbergam venit, & decimo septi-
mo Augusti homagium excepit. Viennam
verò à coronatione redux primo die
Octobris Imperatoriâ pompâ & ingenti
plausu desideratissimus, & votis omnium
optatissimus Imperator ingressus est.

Tartari & Turcæ Transylvaniam depo-
pulantur.

Galli, Duce Turenio & auxiliis An-
glorum Dunckekram obsident, quæ post
pugnam atrocem inter Turenium & Joan-
nem Austriam initam, quâ Hispani magnâ
strage affecti fuere, ad deditioem co-
acta est. Condæus porrò (qui Joanni Au-
strio pugnam sine bellicis tormentis inire,
sapienter dissuaserat) inter pugnandum
equo suffosso tantùm captus non est. Dun-
cker-

ckerkam autem captam Rex Ludovicus
Anglis reliquit, eo pacto, ut quando vel-
let, eam pecuniâ redimere posset. Dün-
ckerkæ fortunam secutæ sunt Berga, S.
Vinoci, Turnæ, Diximuda, victoriæ
prioris appendices. Sed & altera victoria
contra Joannem Austriam a Gallis obten-
ta, quemadmodum victoribus animos ad-
didit, ita victis Hispanis & Belgis metum
incussit, ut variæ urbes, Gravelinga, Me-
nenium, Ypra, Turenio sese submitterent,
qui, ut bonum Imperatorem decet, ap-
primè tunc noverat uti victoriâ & hostium
timore ac infelicitate.

Bassa Aleppensis in Ottomannum Sul-
tanum cum 70. millibus armatorum & mul-
tis Bassis conspirantibus rebellat, quæ ta-
men rebellio anno sequente multorum cæ-
de dissipata est.

Batavi cum Svecis prælio navali confi-
gunt & Cadmæâ victoriâ vincunt; Sveci
enim perdidere undecim naves, Batavi
autem Ducem suum. Meliore fortunâ
Sveci Churlandiæ Ducem ditione univer-
sali expoliant, & cum tota familia capti-
vum Rigam deducunt.

In Anglia varii conjurati contra Crom-
villum deteguntur, & eorum sanguine ty-
ranni hujus securitati litatur; Verum,
quem

quem homines tollere non poterant, hunc
Deus exterminavit Idibus Septembris, re-
liſto filio Richardo, dignitatis, non inge-
nii & industriæ ſuæ ſucceſſore; quare hoc
tanto oneri impar, ſtatim ſuccubuit. Mon-
tuus autem Cromvellus ſepultus eſt regni
pompâ, docuitque tyrannos aliquos ſa-
tem uſque ad obitum ſuum in hac vita eſſe
fortunatos.

✽(1659.)✽ Mittit Auguſtiſſimus Im-
perator Leopoldus die 27. Maji Conſtan-
tinopolim Legationem ſuæ coronationis
& inthroniſationis nunciam.

Cæſariani juncti Danis, Polonis, Bran-
denburgicis & Hollandis cædunt Svecos
ad Nyburgum, & ipſam urbem Sveco er-
piunt cum præda locuplete.

Baſſa Alepenſis cum triginta Ducibus
rebellibus capitur à Baſſa Syriæ Mortaza
diſto, quorum præfixa contis capita Con-
ſtantinopoli è regione Turcici palatii
(Serallium vulgò dicunt) diro ſpectaculo
crudelium Sultani animum reſecerunt.

Veneti feliciter pugnant contra Turcas
& veniunt victores uſque ad Dardanellas
ſive fauces Hellespontini mari Ægæo inter-
cludendas.

Pax inter Polonos & Coſaccos confici-
tur, ſed eodem anno ruptâ pace denuo
deficiunt.

Pax inter Hispanos & Gallos coalescit, & Carolus Dux Lotharingiæ hæcenus ab Hispanis captivus detentus, libertati restituitur.

Angli, dum pacis sequestri esse volunt inter Danos & Svecos cum classe 36. navium ad Sundicum fretum excurrentes, (fortè non tam sequestri, quam Danorum hostes futuri) ad turbas domesticas componendas revocantur; Scoti enim, Duce Muckio, & Angli, Duce Lamberto, copias junxerunt, & ineunte Majo, novo Parlamento dissoluto, vetus restituerunt, Reipublicæ sigillum perfregerunt, Protectorem Richardum exauctorârunt, & ne aliquid auderet (quod tamen propter ignaviam ejus metuendum non erat) assignatum est ei & familiæ Cromvelliæ, unde lautè viverent, ut sic Olivarius Cromvellus de Anglia bene meritus videretur. Muckius interim & Lambertus junctis exercitibus rerum potiebantur, sed demùm prævaluit Muckius ingenio & sagacitate, mox etiam Angliæ regnum magnâ virtutis & moderationis laude reparaturus.

Alexander VII. Pontifex in Sanctorum numerum refert B. Thomam Villanovanum Episcopum Valentinum, virum pietate & miraculis clarissimum.

(1660.) Leopoldus I. Imperator in mense Januario suppetias militares expedit ad Episcopum Monasteriensem, quorum auxilio deinde seditiosa civitas suo Domino subjugatur.

Pax inter Danos & Svecos firmatur; Carolus Gustavus Rex Sveciæ moritur, & post obitum ejus similiter Leopoldo procurante, pax inter Polonos & Svecos Olivæ concluditur.

Georgius II. Ragotzkus Transylvania Princeps cum Turcis configit, & in eo conflictu lethaliter vulneratur ac moritur; Turcæ autem die 17. Augusti Waradinum deditioe accipiunt.

Pax Hispanos inter & Gallos anno superiore conclusa, nuptiis Mariæ Theresiæ Regis Hispaniarum filia cum Ludovico XIV. Galliarum Rege confirmatur. Nuptiæ celebratæ sunt primò per procuratorem Ludovicum Harosium Fontarabiaz 3. Nonas Junias: non multò autem post, 8. scilicet Idus ejusdem mensis in Insulâ Phasianorum ambo Reges magnâ amoris significatione sese mutuo salutârunt, & tradita est suo Ludovico à patre Philippo sua Theresia. Tertio post die matrimonium perfectum est in æde S. Lucii, eâ pompâ, quam Francia & Hispania simul exigent.

VI. Kalend. Julias terra tremuit à Pyrenæis montibus ad Lemonicum usque ingenti concussione, quo motu calida balnea Bagneriarum evanescere, dissipatis scilicet ignibus quia aquas illas calefaciebant.

VII. Kalend. Septembris eâ pompâ recepti sunt Parisiis Rex & Regina, qualem Lutetia nunquam vidit.

Post mortem Caroli Gustavi Christina Sveciæ Regina in regnum revocata est, ut Comitibus interesset, venit igitur Hamburgum 15. Kalend. Septembris exiguo comitatu, ut Regina quidem accessisset, sed regnum non respectare videretur. Cùm eò appulisset, à Svecis invitata est, ut fidem Catholicam ejuraret, sed contemptis eorum blandimentis, nequidem Regis funebri orationi interesse voluit, ne heterodoxâ concione aures suas pollueret.

In Britannia Anglicus exercitus, qui Parlamentum exauctorârat, & jus omne in regnum arrogârat, per Muckium Scotticarum copiarum Imperatorem, & Duces Hybernici exercitus iterum omni potestate exuitur, & legitimo Parlamento restituto, epigraphæ inhonora Regi cæso posita iterum sublata, & honorifica restituta est, & 15. Kalendas Junias paratis omnibus prudentissimè Londini Rex acclamatur.
Caro.

Carolus II. Repositæ sunt Patris ejus imagines & avi, per Cromvillum ignominiosè sublatæ, & jussu duplicis Cameræ ipse per honorificâ legatione revocatus in Angliam, auctoribus præcipuis tam nobilibus facti Muckio & Montacuto Thalassiarcho Rex ergo Anglicanâ susceptus classe, Haggâ Comitis & Bataviâ solvens cum duobus fratribus suis Eboracensi & Claudiocestrensi Ducibus appellit Dubrim pridie Nonas Junias, cui Muckius occurrit cum quatuor nobilium millibus, eumque Cantuariam deduxit, ubi quatuor dies hæsit donec omnia Londini ad magnificum ingressum pararentur, quod singulari omnium Ordinum voluptate peractum est die 8. Octobris, qui dies perpetuâ, solenni memoriâ recolitur.

Posthæc morte mulctati sunt aliquot qui sententiam capitis in Carolum I. pronuntiabant, quorum præcipuus fuit Harisonius; statutum etiam, ut cadavera Olivarii Cromvelli, Iretoni, Pridii, Bradshavi refoderentur, & imponerentur crati & Tiburnum usque ignominiosè raptarentur, atque sub furcis publicis cum eorum feretris infoderentur. Mox tamen facta iterum in Regem Carolum & Muckium conjuratio à sex millibus conjuratorum facta

facta & in die natali Domini eruptura, detecta est, quorum præcipui dati sunt in vincula, & sapienter imperatum militibus omnibus sacramento solutis, ut statim Londino abscederent, quo decreto conjuratio, & conjurationis sementis extincta est.

Reconciliatis Regibus Hispaniæ ac Franciæ, Condæus quoque cum uxore ac liberis in Franciam rediit, & exceptus per amicè à Principe Longavillo, per eundem ad Regem deductus est, à quo cum incredibili aulæ totius voluptate susceptus, etiam Cardinali Mazzarino in partem hujus gaudii veniente, aut venire simulante.

(*** ***)

DE CAS VII.

(Ab anno Christi 1660. ad 1670.)

1661. IN Hungaria Turcæ arcem S. Jobi occupant: & Joannes Kemminius in Principem Transylvaniæ eligitur, atque Achatius Barsfay Turcarum ope intrusus, ab ipsis Transylvanis interficitur. Princeps autem Ragotzkus fidem Catholicam amplectitur.

Exercitus Cæsareus Transylvaniam ingreditur in subsidium Principis Kemminii, qui

qui tamen eodem anno per suorum pro-
ditionem occiditur.

In Angliâ Carolus II. Londini coronatur,
& esum carniû feriâ sextâ & septimâ ve-
tat, ac Quadragesimam sancit, & cùm fa-
veret etiam Jesuitis, & de iis intra re-
gnum admittendis cogitaret, Parlamen-
tarii tamen edicto protinûs jusserunt Je-
suitas omnes toto regno exesse, quo
non obstante, in ipsa urbe regia Lon-
dinensi latuere complures, Rege non
in scio. Firmat quoque Carolus II. An-
gliæ Rex nuptias cum Catharina sorore
Regis Lusitanæ, cui concessum est à Par-
lamento, ut viginti Religiosos & Sacerdo-
tes Catholicos possit in aula sua retinere,
& decretum eâdem occasione, ut omnia
edicta Elisabethæ contra Catholicos
tollerentur, religionis libertate per-
missâ.

Ineunte Novembri Regina Franciæ
Theresia inter puerperii cruciatus enixa
est feliciter Delphinum, magno Ludovici
XIV. & totius gentis gaudio, qui statim
solvi jussit ex carceribus rerum capitalium
reos, & pecuniam erogavit inter eos, qui
detinebantur carceribus propter negotia
civilia, & Crequiûs Dux Roman Legat-
us missus, ad nuncium hoc gaudiosum
Pon-

Pontifici ferendum, actæque Deo publicæ & solennes gratiæ pro tanto munere.

In Hispania quoq; Philippo IV. Regi Hispaniarum ex Anna Maria 7. Novembris natus est infans Regius, & conceptum luctum propter obitum alterius infantis, qui sex diebus antè præcoce morte sublatus est, suâ nativitate iterum absterfit, & 11. Kalend: Decembris sacris aquis elutus dictus est Carolus hujus nominis postea, cum Philippo IV. parenti in monarchia succederet, secundus: Primario huic nomini aliis quoque ex pietate adjunctis, scilicet Josephi, Antonii, Leonardi, pro quo munere actæ similiter Deo publicæ gratiæ, & magnæ lætitiæ signa ubique edita.

Die 8. Decembris supplicante Philippo IV. Hispaniæ Monarchâ Alexander VII. declaravit suam sententiam de immaculatâ Conceptione Beatissimæ Virginis, in hoc sensu, quòd Deipara in ipso primo instanti creationis animæ & infusione in corpus, fuerit præservata per merita Redemptoris à peccato originali.

In Gallia moritur Cardinalis Mazzarinus, vir magni ingenii, sed fortunæ longè majoris, quo vix alius majus Gallorum odium sustinuit, & illud contempsit felicius ac gloriosius.

Lu-

Ludovicus XIV. mandat, ut omnes sui subscribant constitutioni Innocentii X. Pontificis contra Jansenistas datæ.

Hoc anno etiam uterque Monarchæ Philippus IV. Hispaniæ & Ludovicus XIV. Franciæ duos summos Ministros duarum summarum aularum deprehendunt, qui in summa infidelitate administraverunt proventus regios; apud Hispanum quidem reperti sunt decem milliones aureorum, Fuquetius autem Gallici ærarii regii Præfectus convictus est usurpationem quadraginta millionum librarum de regis redditibus. Quid sic mirum, si Provinciæ Regum exhauriantur tributis, & tamen eorum æraria non augeantur, si tales inatrabiles Harpyæ populorum sudores & sanguineos labores pro suo emolumento exsugant. Ideo Ludovicus XIV. post hæc ipse suum ærarium administrare decrevit, delecto ad hoc probatorum virorum plurimum consilio & operâ, qui in hoc munere castè & integrè versarentur: Pro causa autem Fuquetii & Regiorum quæstorum ac publicanorum penitus extricanda vix duo anni suffecerunt.

Pax inter Moschos & Svecos composita.

In Cypro ob tyrannidem quorundam præfectorum tumultuatum est.

Tur-

Turcæ in Transylvaniam occupant
transitum, *Ferream Portam* dictum, quos
Comes Nicolaus Zrinius in Croatia profli-
gat. Similiter Sultan Ibrahim cum vigin-
ti millibus suorum in Dalmatia a Venetis
cæditur.

Cham Tartarorum Moschoviam cum
200. millibus armatorum invadit. Inte-
rim pestis depopulatur Constantinopolim.

SECTA FANATICORUM IN ANGLIA.

Hoc anno arma corripuerunt in Anglia hu-
jus Sectæ affectæ, Fanatici dicti, eâ inten-
tione insurgentes & sese consociantes, ut Mo-
narchias omnes ubique tollerent, quos appella-
bant Carnales & ajebant se divinitus ad id
esse vocatos, eorumq; tessera militaris erat: Vi-
vat Dominus JESUS, sed hi Phantasta iteratè
& Regiis militibus cæsi & dissipati sunt.

(1662.) Imperator Leopoldus
Senatui Erfordienti mandat sub gravi pœ-
na consuetam precationem pro Electore
Moguntino tanquam legitimo Domino à
Ministris verbi post publicas conciones
haberi, quòd illi hæctenus facere detrecta-
bant, & quæ secuturæ brevi rebellionis
fuère exordia.

Archi-Dux Austriæ Ferdinandus Ca-
rolus Josephus eligitur in Magistrum
Coad-

Coadjutorem magni Teutonici Ordinis
In Croatia Turcæ magnâ suorum clade
à Zrinvarino repelluntur, & irrito con-
nato obsident Claudiopolim Transylva-
niæ urbem.

Leopoldus Wilhelmus Archi-Dux Au-
striæ bellicosissimus & pientissimus Prin-
ceps sanctè obit.

Moschi cædunt 8. millia Tartarorum
& Cosaccorum in acie.

Urbs Passaviensis fere tota ab incendio
in cineres redigitur.

Joannes Austriacus plurimas urbes Lu-
sitianorum expugnat.

Goa Metropolis Indiæ cum magno dis-
scrimine religionis Catholicæ in illis re-
gionibus recens introductæ, ab Hollandis
capitur.

Rex Galliæ Ludovicus XIV. deputatus
Genevæ mandat, ut in ea urbe liber sit
usus Catholicæ religionis, idem Rex jubet
viginti tria templa hæreticorum demoliri
quæ in ditione Genevensi fuerunt in illius
protectione. Renovavit etiam Rex de-
creta contra Hugonottas, & carceribus
includi jussit, præcipua capita sectæ Ille-
minatorum. Dunkerkam quoque uti alia
cum Anglis conventum fuit, quinquagies
centies librarum millibus redimit, urbem

que illam ingressus Catholicam religionem cum multis privilegiis restituit.

Inter Pontificem & Galliae Regem gravissimae discordiae exoriuntur, propter Ducem Crequium Regis Christianissimi legatum male acceptum Romae; Siquidem contra jus gentium in uxoris ejus currum multi sclopi displosi sunt, quorum glandibus puer honorarius unus est interfectus, & cum Legatus se ex ambone videndum praebuisset, ut tumultum reprimeret, in eum quoque conjectae glandes, fenestrae palatii ejus impetitae, coris militibus cum vexillo & tympanis ad eum obsidendum & male mulctandos Gallos accurrentibus, quem etiam palatio suo incluserunt, neque magnae ejus familiae cibaria unde victitare possent, sufficienter praebere permiserunt, & tunc denique in urbem inducta sunt quatuor armatorum millia ad vim propulsandam; quibus contumeliis in Principem suum redundantibus permotus Legatus urbem deseruit: Quo audito Rex quamprimum ex Francia legatum Pontificium remisit, triginta equitibus stipatum ad pontem usque Bellovacensem Sabaudiae ditionis limitem, prohibuitque cum Francis agere quamdiu in Francia versaretur. Graviter sibi metuit

metuit ob hanc injuriam Pontifex & sub
tribus marchionibus comparavit sibi exer-
citum, quem irato Regi Ludovico oppo-
nere posset. Atum interea per duos an-
nos magno molimine utriusque partis pro
pace inter Pontificem & Regem concili-
anda: sed quia Rex Christianissimus con-
stanter peteret inter cætera, quibus sibi
satisfieri volebat, statûs Castrensis restitu-
tionem Duci Parmensi, sine armis discor-
dia componi nequivit, motæ igitur Ita-
liam versus copiæ Gallicæ in Parmensi di-
tione convenerunt, classis item Gallica sub
Belfortio Duce Genuense, Etruscum
mare oberrans exsensionem in aliquo
statûs Ecclesiastici littus minabatur, sed
& Pontificii delectus in Germania & Hel-
vetia habuerunt, quibus sese contra inva-
dentem tuerentur. Denique tamen anno
1664. die 12. Februarii vanâ spe & metu
multorum agitata hæc controversia finem
fortita est, tractatu Pisis in Etruria habito
quo Alexander Pontifex rerum actarum
excusationes per Cardinalem nepotem
Chisium Parisios ad Regem transmitteret,
Gentem Corsicanam à Sedis Apostolica
militia edicto perpetuo arceret, reditu
tegratæ pacis memoriam & pacta in mar-
more sculpi Romæ procuraret, & Re-

perpetuâ oblivione sepeliret vim Oratori suo illatam, & civitatem Avenionensem; comitatumq; Vindascinum Ecclesiæ ex integro restitueret, quem ex illo tempore Galli usurpare cœperunt.

Sub finem hujus anni Algeriani multas naves Batavorum, Anglorum, Francorû & Italarum interceptere, & tamen singuli hi populi piratis illis longè superiores hucusq; convenire non potuerunt ad pestem hanc Christianitatis exterminandam. Et quidem hoc anno ferocius Bassa Algerianus sæviit in Christianos propter conspirationem decem millium captivorum in ergastulis hujus urbis: quod enim conspiratio hæc prodita fuisset, omnes immaniter trucidati sunt. Et Sacerdos quidam Dominicanus, qui eos in arcem inducere pollicitus erat, vivus terrâ obrutus est, prius atrociter tortus; quâ in quæstione conjuratorum indicavit neminem etiam iis qui eum excruciabant mirantibus, & fidem quam oderant in eo laudantibus.

(1663.) Hactenus Turca in Hungaria suis Bassis rebellibus domandis detinebatur, quibus subactis audaciùs & atrocitùs irrumpere posset, & Transylvaniam quam spe jam devoraverat cum aliis sibi subdicere, ideo dubiis responsis hactenus

S

suspens

suspensum tenuit Leopoldum : At nunc aperto bello aggreditur Hungariam, & cum ingenti exercitu, quinquaginta equitum & peditum centum millibus regnum illud inundat. Tartaris Moraviam & aliam Hungariæ partem depopulantibus; ac primùm caësis nostris temerè configentibus Vyvarinum (Neuhäusel) obsidet & 26 Septembris ad deditionem cogit, Leopoldus autem nihil intentatum pro conservando, regno relinquit, mittit proinde legatos in Galliam, Angliam, Daniæ, Sveciam, Hollandiam, Prussiam, Poloniam ad auxilia contra communem Christianitatis hostem corroganda, & ipse ad Comitiam Ratisbonam contendit, Viennam interim muniri curat, & suburbia, quæ hosti prodesse possent dirui, denique omnia officia optimi Imperatoris explevit, sed minora auxilia & subsidia, quam zelus Christiani nominis & res ipsa postulavit, à plerisque Principibus Christianis, & quod maxime mirè, ab iisdem quorum maxime res agebatur, impetravit, eodem namque anno Turcæ Levam, Novigradum, & Nitriam occupant.

Arcem interim S. Benedicti, Abbate Petro Korompay strenuè contra omnes hostiles impetus conservante.

Moritur

Moritur Ferdinandus Archi-Dux Oenipontanus Tyrolinæ Linæ. Archi-Dux autem Carolus Josephus decernitur Belgii gubernator.

Joannes Austriacus post oppugnationem sex dierum Eboram expugnat, & tri-duana direptione multis millionibus potitur, brevi autem post Lusitani resumptis iterum animis feliciter cum Hispanis confingunt, & his cæsis acie, Eboram recipiunt: qua in pugna Joannes Austrius duobus jam equis, ex quibus pugnabat, suffossis, tertio tandem fugere compulsus est.

Erfordiani tanquam refractarii Cæsareis mandatis de forma precationis pro Electore Moguntino, banno feriuntur à Cæsare, malè tamen ab iisdem vapulavit, Cæsareus Caduceator D. Jacobus Lidt à Schwanau, quam ferociam Elector mox conductis copiis vindicare aggressus est.

Cùm jam anno superiore Carolus Lotharingæ Dux ditionem suam Regi Franciæ certis conditionibus transcripisset, (quas tamen ejus propinqui vehementer improbârunt) hoc anno Marsalum, fortissimum à natura loci munimentum Rex ad deditionem compulit 3. Nonas Septembris.

Milites Quartiani in Polonia magnâ diffensio-

sensione & dilaceratione tumultuantes à Casimiro ad obsequium quâ promissis, quâ armis reducuntur.

Parisiis Simon Morinus Albamalenfis hæreticus fanaticus, qui se Spiritum S. esse jactabat, & multos sibi socios, etiam Sacerdotes adsciverat, 17. Aprilis vivus exuritur.

In Anglia Londini impium edictum promulgatur, ut omnes Catholici regno intra octiduum exeant, exceptis Reginae famulis.

(1664.) Munimentum Turcicum Tubbeck sive Torpech, ubi Solymani ad Sigethum mortui cor & intestina condebantur, ab Hohenlohe & Zrinio incineratur: Posthæc die 1. Februarii arce Terracâ armatâ manu expugnatâ incenduntur à Zrinio pontes Esseckiani, opus ab arte & à robore inter miranda orbis jure censendum sub eadem tempora durante obsidione arcis Quinque-Ecclesiensis timore percussis & fugâ dilapsis Turcis Castella Musiacum, Neostadium, Sethum, Bardaran, Sechzugium, & plura alia in spoliis celsere victoribus: die 17. Aprilis Cæsareus Belli-Ductor Radwigijs de Souchez cum decem millibus obsidet Nitriam Hungariæ fortalitium, & quinto Aprilis Turca ad deditone n cogit die 28. Aprilis obsidetur Canisa ab Hohenloho, Zrinio, & Stroztio

ntes a
missis,
alensis
cum S.
etiam
s virus
m pro-
o intra
amili-
rcicum
anni ad
conde-
incine-
ce Ter-
duntur
arte &
censu-
obfidio-
re per-
lla Mu-
rdaran-
um cel-
æfarens
ez cum
Hunga-
Turca
obfide-
& Stro-
tizio

tizio. Verum primâ Junii numeroſo Tur-
carum exercitu obſeſſis in auxilium advo-
lante, Cæſarei ab obſidione recedunt,
eventu animis non respondente.

Interea die 5. Maji Legatio Svecica Ra-
tiſponæ inveſtituram accipit a Cæſare de
Principatibus Bremeni, Verdienſi, Po-
merania, Riga, & Dominio Wiſmarienſi.

Die 19. Auguſti cæduntur Turcæ ad Le-
vam à Soucheſio, occumbunt hoſtium
ſex millia in acie, plures fugâ diſſipati,
amittant ducenta vexilla, quadraginta
tympana, tredecim tormenta, mille cur-
rus annonarios.

Die 1. Auguſti cæditur Turcicus ex-
ercitus ad S. Gothardum ſub excellentiſ-
ſimo Generali Cæſarei exercitûs Comite
Montecuculi, cum paulò antè Turcæ Neo-
zrinium occupâſſent, ideo arcis illius de-
ſenſionem negligentibus Cæſarianis, & ja-
ſturam illâ diſſimulantibus, quòd eam Zri-
nius Comes abſque Cæſaris conſenſu tu-
multuario opere conſtruxiſſet, & eâ potiùs
ad prædas coacervandas uteretur, quas à
ditione Turcica inquietus etiam in pace
miles abigebat, quàm quòd regionis Chri-
ſtianæ juſtæ ſecuritati inſerviret.

Hujus porrò munimenti expugnatib occa-
ſio fuit Cæſareæ victoriæ, atque paciſ-

consecutæ; Præfectus enim Turcicus au-
 tis jam animis dum in Austriam irrumpe-
 re tentat, resq; tota in transitu Arrabonis
 fluvii versari videretur, eumq; jam magna
 ex parte Turci transissent, & impetum in
 Christianas copias fecissent, res ad cruen-
 tam pugnam pervenit, in qua sedecim
 millia Turcarum perierunt, dum flumen
 aut trajicere, aut transitum sociis sterne-
 re conati sunt. Insignis hujus victoriæ non
 spernendam partem sibi attribuunt auxi-
 liares copiæ Gallicæ in Hungariam a Rege
 Ludovico sub Comitibus Foliadeo & Co-
 lineo transmissæ, quorum opera vetera-
 no Germanorum robori adjuncta (aliquot
 jam turmis novi delectus dissipatis) pug-
 nam non tantum restituit, sed illustri etiam
 triumpho fœderatum exercitum cumula-
 vit. Eodem die Dux Souchesius Baraka-
 num quoque Turcis ereptum incineravit.
 Post hanc victoriam pax inopina, seu po-
 tius armistitium vicennale Cæsarem inter
 & Turcam in castris Turcicis prope pagum
 Vasvar conclusum est.

Gaudium ex hac victoria & pace ena-
 tum attemperavit funebris luctus ex mor-
 te Caroli Josephi Archi-Ducis, fratris Im-
 peratoris, cum jam esset Passaviensis &
 Olomuzensis Episcopatum Administer,
 & su-

& supremus Magister Ordinis Teutonici, & ad Gubernacula Belgii à Rege Philippo destinatus. Quò dum proficisci cogitabat, febrì correptus Lincii præmaturâ morte sublatus est, tantò graviore Domûs Austriacæ jacturâ, quòd unico surculo deinceps Domus Austriaca floreret.

Post Martis pugnas, inter venationis delicias Nisolaus Comes Zrinius apri (ut dictum est) fatali dente laceratus periit: suspicantur autem plurimi ex viris gnaris politicæ jussu fuisse occidi secretiori vindictâ, quòd res novas & quieti publicæ noxias moliri ausus fuisset.

Desiit vivere Wilhelmus Princeps Austriacus minoris sclopi explosione vulneratus, & quia tædunt Batavos ab hujus Domûs auspiciis vivere, successionem hæreditariam filio ejus renuerunt, quæ res grandium motuum occasio fuit.

Die 15. Decembris videri cœpit cometa, magna disturientium Mathematicorum tunc temporis materies.

Moguntinus Elector Joannes Philippus Erfordiam civitatem Thuringiæ vi armatâ adigit ad primæ obedientiæ sacramentum, cui sese subducere jam à multis annis cœperant. Hæc urbs Svecorum armis olim sub Gustavo Adolpho occupata,

pata, cum diu eorum (Bellonâ Svecicâ in corio Germaniæ ludente) sedes Imperii fuisset, & pace pactâ legitimo suo Principi parere debuisset, se pro libera civitate Imperii habere cœpit, unde cum nec minæ, nec sententiæ eam ab usurpatæ libertatis ambitone retraherent, annuente Cæsare ad detrectatam subjectionem coacta est.

Armorum suspensio inter Reges Hispaniæ & Lusitaniæ facta, quâ finitâ Lusitani Alcantaram Hispaniæ eripuerunt.

Colmaria cum novem urbibus Alsatia subijcit se Regi Galliarum.

Pestis affligit Hollandiam, & Episcopus Monasteriensis armis eosdem conturbabat, causa autem armorum susceptorum fuit castrum Eyderum Emdensis in Frisia Comitum, quod Episcopus Monasteriensis ob aliquot debita obæratî sibi Comitum vi occupavit. Quod ægrè ferentes Batavi arcem Comitum sibi subditi, in Episcopi Catholici potestatem redigi, arma armis opposuerunt, qui graviori bello mox distracti fuerunt: etenim Rex Angliæ questus institores suos durius haberi à Batavis, qui ubicunq; mercimoniorum causâ per Africam & Americam convenirent damna sibi illata, quæ milliones quinque librarum

exce-

excedere prætendebat, repetens, neque
per oratores suos amicâ compositione ha-
cenus consecutus, bellum hoc anno indi-
xit, cui mutuis navium deprædationibus
usque in sequentem annum prælusum est.

Rex Angliæ pro hoc bello Tingitanam
arcem vendit Regi Galliæ, pecuniâ con-
tra Hollandos usurus.

(1665.) Lesleus Cæsareus Lega-
tus in comitatu 350. stipatorum mittitur
ad Turcarum Imperatorem die 6. Maji
pro armistitio 20. annorum stabiliendo,
qui die decimâ Decembris Legatione suâ
Constantinopoli perfunctus, antè abitum
suum à Turcarum Sultano amplissimum
diploma impetravit in favorem PP. Socie-
tatis Jesu, quo ipsis tum contra Turcarum,
tum etiam contra Græcorum exactiones
& molestias securitas data & stabilita est.
Obtulit in hac Legatione Lesleus nomine
Cæsaris auri argentiq̃ue supellectilem un-
decim millium librarum pondo, quam li-
beraliter Sultanus misso quoque Turci-
co oratore Viennam compensavit tentorio,
tapetibus, equis, ephippiis, & armis
non inconcinne, pro gentis ferocis impe-
ritia fabricatis. Ingressa est autem Vien-
nam Turcica Legatio statim die 8. Junii.
Primo año pacis cum Turca initæ, datum

est initium primâ ligonum applicatione
 novo in Hungaria fortalio Leopoldopolita
 no extruendo in locum Neosolii (sive Neuhäusel) quod vi pacis contractuum relictum
 fuit in potestate Turcarum, eâ conditio
 ne, ut loco illius aliud à Cætare muni
 mentum non contradicentibus Turcis ex
 strui posset pro confinibus Austriæ tuen
 dis.

Poloni in Ukraina cædunt sex millia
 Cosaccorum rebellium, reliquis fugatis.

Philippus IV. Hispaniarum Rex die 17
 Septembris ex calculi doloribus obit, Mo
 narcha ad eximias virtutes à naturâ forma
 tus. Acclamatus est post funera patris
 Carolus II. quadriennis puer sceptro re
 gendo impotens, unde rerum summa ex
 Regis testamento ad matrem Marianam
 devoluta est, cui juvandæ consiliis suis
 sex regni Proceres pariter sunt destinati
 (nam Hispanorum ab aliquot sæculis nul
 lus Rex ætate minor sceptris admotus est)
 quæ res non spernendam timendi occasio
 nem ministrare pluribus visa est.

Famoso incendio redeunti ex Hunga
 ria Mahometi Constantinopolis illuxit,
 quo aliquot domorum millia absumptæ
 sunt, & totum Regiæ matris gynæceum
 conflagravit, in quo immensum gemma
 rum

rum, & pretiosæ suppellectilis pondus periit.

Batavi insigni clade ab Anglis prælio navali contriti sunt, triumphante Jacobo Duce Eboracensi, qui Caroli Regis frater, & Anglorum Archi-Thalassus erat.

Die 25. Julii moritur *Æniponti* Archi-Dux Sigismundus Franciscus Cæsaris Leopoldi cognatus, & hic quidem lineæ Tyrolensis ultimus & absque liberis, qui nuptias cum Hedwige Augusta Palatini Sultzbacensis filia meditabatur. Imperator igitur Tyrolensis Principatus Dominium auspicatorus *Ænipontum* profectus est.

Fatis quoque concessit Carolus Mantuæ Dux in ipso juventutis flore jam viribus effactus, quas inter illicitos amplexus extenuavit: Ex Clara Eugenia Austriacæ unicum reliquit filium Ducatus hæredem Ferdinandum Carolum annorum tredecim, qui & ipse hætenus prole carens, si aliquando improlis obiêrit, controversiæ materiam de successione ministraturus videtur.

Pater Dominicus *Ottomannus* Ordinis Prædicatorum, frater Imperatoris Turcarum, & primogenitus Ibrahimi (qui anno 1644. captus fuerat ab Equitibus Meliten-sibus cum Sultana matre in itinere versus

Mecham) Parisios venit, & ibidem à Rege honorificè excipitur.

Franciscus Salesius Episcopus Genevensis Sanctorum catalogo ab Alexandro VII. adscribitur

(1666.) Die 27. Januarii Comes Harrachius ex Hispania redux attulit ratificatum & subscriptum nuptialem Contractum inter Augustissimum Romanum Imperatorem Leopoldum I. & Margaritham Hispaniæ Infantem: Ceremoniæ Antenuptiales Madriti celebratæ sunt die 25. Aprilis, vices Augustissimi Sponsi Cæsaris Leopoldi obeunte Duce Medina de la Torres. Die 28. Aprilis Augustissima Sponsa Madrito movere cœpit in Austriam classe Hispanâ in Italiam translata, & inde traducta regiâ pompâ Viennam, die 29. Novembris primò salutata est ab Augustissimo Sponso, Cæsare Leopoldo in Scheidwien: die 5. Decembris novâ & nondum visâ solennitate Viennam introducta.

Londinensis civitas Angliæ metropolis ab igne ferè tota absumitur, redacta in cinerem quindecim domorum millibus.

Eodem anno etiam Tyrnavia majore ex parte conflagravit.

Civitas Bremensis à Svecis obsidetur, & tandem Ordinum Belgii confœderatorum

Electoris Brandenburgici & Principum Brunswicensium interventu jurat Svecis obedientiam, quâ prius Imperio obstricta fuerat; valedicit quoque juri suffragium in Imperio ferendi, & in Dietis locum obtinendi, pactis tamen tantum usque ad finem sæculi decimi septimi duraturis.

Hollandi & Angli vario Marte præliantur.

Lusitani magno numero in regnum Castellæ irrupentes, ab Hispanis repelluntur.

In Polonia omnia turbatissima.

Gandia jam anno superiore à Turcis exagitari cœpta nunc fortius affligitur præsidariis Venetis fortiter propugnantibus, triremibus autem Venetis, Pontificiis, & Melitensium Equitum non eâ, quâ parerat, concordia, fidelitate, & celeritate, auxilio venientibus.

Christina Regina Sveciæ interest Comitibus regni Holmiæ, & reservata sibi in abdicatione regni jura vendicat, ne quovis prætextu mutatis à Svecis vellicarentur, & negotio feliciter confecto Romam revertitur.

Alexander VII. Summus Pontifex ad instantiam Regiæ Hispaniæ per Breve speciale dispensat, ut Pater Joannes Nidhardus

hardus Societatis Jesu Regina ejusdem
Confessarius non obstantibus Societatis
statutis, possit acceptare & exercere mu-
nus inquisitionis Generalis Hispaniarum.

Senatus Regius in Hispania prohibet ar-
tificiosa capillitia quæ vulgò Barocka
vocamus, eò quòd singulis annis in Gallia
impenderentur plus quam vicies centena
millia aureorum.

Dira pestis grassatur ad Rhenum supe-
riorem Moguntia & circumjacentibus locis,
ac Palatinatu Rheni.

✽(1667.)✽ Alexander VII. Summus
Pontifex, morte piè obitâ, Sedem relin-
quit Cardinali Julio Rospiglioso Pistorien-
si, qui nomen Clementis IX. assumpsit,
& die 30. Julii ad instantiam Augustissimi
Imperatoris Leopoldi concedit festum SS.
Anglorum cum octavâ celebrandum per
omnes Provincias Romano Imperatori
subjectas.

Idem Pontifex mandat omnibus, qui ad
horas Canonicas obligantur, ut deinceps
officium Immaculatae Conceptionis per
octavam recitetur.

Die 28. Septembris incredibili plausu
Germaniae Cæsari filius nascitur, in Baptis-
mo dictus Ferdinandus, Wenceslaus, Jose-
phus, Michaël, Elzearius.

Ludovicus XIV. ingenti cum apparatu bellico irvadit Belgium jure suæ uxoris provincias illas prætendens, quod tamen jus Hispani tunc temporis validissimè & constantissimè impugnabant, eò quòd Regina illi juri solemniter cessisset, eamque cessionem & renunciationem Rex Ludovicus ipse confirmasset: utraque tamen pars pro mediatore pacis & decisione litis novum Summum Pontificem acceptavit, cum jam multas & munitissimas urbes Gallus occupasset, Hispani tunc temporis sine cura armorum viventibus, ut paucas tantum copias sub Campiductore Marsino (qui levissimo negotio à Ludovico retusus est) ad resistendum objicere potuerint.

Vezirius in Cretam trajicit, & Candiam obsidentibus Turcis animos auget copiosis militum suppetiis & largitionibus, & nunc tandem quæ hæcenus eminè tantum & mitius premebatur, nunc novo robore strictius arctat, & fortissimâ obsessione claudit atq; oppugnat, strenuè Venetis resistentibus.

Poloniæ quoque Turcæ bellum intentant, præmissis Tartaris ad regni illius invasionem; Rex autem Casimirus privatam vitam ducturus, regno renunciat: pro cuius successore pars magna inclinatur in filium

lium

lium magni Ducis Moschoviæ, eâ conditione, ut rejecto schismate Catholicus profiteretur.

Horrendus terræ motus Dalmatiam concutit, & Ragusæ pars magna subvertitur quinque hominum millibus obrutis.

In Hungaria conjuratur hoc anno Cæsaris Leopoldi caput ab aliquot rebus Hungarici Proceribus, postquam insidias jam in cassum struxerunt, usi occasione illa quando Cæsar Sponsæ ex Italia properaret levi famulorum manu stipatus occurrit per Styriam, quâ spe delusi nunc arctius fœdere ad novas machinationes confringuntur.

✽(1668.)✽ Inter Leopoldum Imperatorem & Brandenburgicum fœdus armorum concluditur contra Svecum.

Die 13. Januarii maximo luctu aulam Cæsaris turbavit mors Ferdinandi Wenceslai filii primogeniti Imperatoris Leopoldi quæ tenellum Principem immaturo funere eripuit.

Die 23. Februarii novum Cæsareum Palatium orto sub medium noctis incendio, auri & argenti jactura milliones superante conflagravit. Pretiosissima superpellectile incineratâ, Particula Sanctæ Crucis inter cineres illæsa reperta est, ideo sub

protectione Augustissimi Imperatoris & Imperatricis in honorem S. Crucis Principum foeminarum Sodalitas erecta die tertio Maji prima vice festum suum titolare celebrat summâ solennitate in Ecclesia domus probationis Societatis Jesu Viennæ.

Die 31. Maji Viennæ in foro Aulico honoribus Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. colossus ex metallo fusus prægrandis & elegans Leopoldi Cæsaris jussu erigitur.

Adnitente summo Pontifice Clemente IX. pax inter Hispaniæ & Franciæ Reges componitur: ab eodem Pontifice B. Rosa Limensis Sanctorum catalogo adscribitur.

Mareschallus Turenus incredibili aulæ Regiæ plausu Parisiis publicè abjurat Calvinismum, & fidei Catholicæ professionem emittit.

Summus Pontifex declarat irritum ac invalidum fuisse matrimonium inter Regiam Lusitaniæ ac ejusdem maritum Alphonsum, & illa volentibus ita proceribus nubit fratri ejusdem Petro, atq; hic Rex Lusitaniæ constituitur, Alphonsum verò tanquã regno & uxori ineptus (quia impotens à natura dicebatur) primo in custodiam reclusus, deinde in Insulam Terzeram

ram

ram deportatus est, ubi post stolidæ vitæ
 cursum inglorius diem suum obivit. His
 Spani quoque pacem cum Lusitanis iniu-
 runt, & quos hætenus ut rebelles habu-
 runt, nunc omnia restituerunt cum ple-
 jure quæ hujus regni propria fuerunt, æ-
 tequam cum Hispaniæ Monarchia coad-
 sceret, quod factum est tempore Philipp
 II. excepto Ceutæ fortalio in Africa
 quod Hispanorum juri relictum est.

Tractis primò Secretis ad defectione
 artibus iis quibus Burgundiæ servandæ
 cura incumbere Rex Ludovicus die 11
 Februarii medias inter nives hanc Provin-
 ciam invadit, & perfunctoriâ defensionis
 usus, ut populis illuderetur, recipit
 deditioem.

In Turcarum castris ad Candiam pesti-
 grassatur strenuè adhuc Venetis rem sua-
 tum intus tum extra Candiam sagentibus
 Præcipuam tum laudem retulit Venetæ
 classis præfectus Laurentius Cornelius
 qui duodecim triremes, Durachi Bepi
 grandis famæ piratæ, Turcis in auxilium
 ad obsidionem cum comœatu properan-
 tis in portu Fodellæ inopinato assultu
 noctem accensis facibus piceis adhibitis
 invasit, & occisis plurimis infidelium
 plusquam mille Christianis in libertatem
 affec-

fferitis, & eorum loco pluribus infidelibus vinculis & captivitati mancipatis, navibus merfis partim, ac partim interceptis gloriosam victoriam reportavit. Haud ab- similem virtutem & felicitatem ostende- runt Melitenses Equites contra Turcicæ classis Archithalassum, qui in Cretam vela faciebat.

Etiam in finibus Lotharingæ & Palati- natûs ad Rhenum hoc anno digladiatû est, multis & minutis præliis inter Ducem Lo- tharingæ & Electorem Palatinum, ob jura quædam ab Electore prætensa, ac potissi- mum propter jus Wildfangiatûs (vulgò Wildfangs-Recht) sed concessio ab utroque pacis arbitrio Regibus Galliæ & Sveciæ brevi bellum sedatum est.

Postquam Casimirus coronam quam in- ter civiles & externos tumultus viginti an- nis portavit, vel tædio vel animi incon- stantis levitate contra vota & svasiones procerum deposuit & in Galliam discessit opiparis ibi Ecclesiasticorum beneficio- rum proventibus de cætero victurus, Prin- cept Michael Koribut Dux Visnovicensis votis Polonorum eligitur, & in profesto Michaëlis Archangeli Rex inauguratur, & paulò post in uxorem accipit Mariam Eleonoram, Leopoldi Cæsaris ex patre foro-

sororem, cum qua sterili matrimonio ducto, ipse brevi regno annorum duorum perfunctus obiit.

✽(1669.)✽ Nascitur Viennæ die 11. Januarii Archi-Dux Maria Antonia, postmodum Conjux Serenissimi Bavariæ Electoris Emmanuelis.

Varia undique à Principibus Christianis auxilia submittuntur Venetis quæ obsessæ Candia immitterent, nec defuit Rex Christianissimus quin afflictæ Christianitati Candia conservanda septem millia pedum & quingentos equites sub Francisco Vindocinensi Duce Belfortio Galliarum Archithalasso & vexillis Pontificiis in Cretam destinaret eâ omnium gratulatione & plausu ut quasi ad urbis obsessæ certam futuram liberationem omnes gestirent, feliciter quoque & copiarum & pecuniarum subsidia jam Candiam appulsa erant & ut majori effectu vires in hostium perniciem copiarum auxiliares explicarent, Gallis suadebatur ut pari consensu & robore cum cæteris auxiliaribus certarent & victoriam operarentur, gens autem hæc impatientior moræ & individua gloriæ cupida dum die 24. Junii in castra obsidentium erumpit, & alacri certamine hostibus incumbit, ac multiplici jam damno attritis

acrius

ariis insistit inopino casu nitrati pulveris
facto accenso primùm trepidare (quòd so-
lum omne suffossis cuniculis excutiendum
putarent) ac deinde pedem retrahere cœ-
perunt. Quod ubi Turcæ adverterunt,
receptis animis ingenti suorum numero
ita fugitantes interceperunt, ut eos sepe-
lire & non expugnare visi sint desideratis
mille & amplius Gallis, etiam perduto Du-
ce Belfortio, qui ita contritus inter cæsos
jacuit, ut nulla pars qua agnosceretur in-
veniri potuerit. Die postmodum 24. Ju-
lii ab universa Christianorum classe ad Cre-
tam in Turcas obseffores pugnatum est,
numerabantur autem præter naves Vene-
tas insuper 29. triremes, septem scilicet
Pontificiæ & totidem Melitenses & quin-
decim Gallicæ: decreta tunc erat eruptio
ex urbe decem millium militum, si tor-
mentorum ruina ex navibus barbari à lit-
tore infestarentur, ut sic utrimq; inin-
tecæde distracti ac confusi vincerentur,
sed re perpensâ quod periculum majus
visum esset, quàm sperata victoria solo
navium insultu hoc die res peracta est,
præsidario milite intra muros sese con-
tinente: cumque Candia posthæc in dies
majores in angustias redigeretur, Mauro-
cenus, cui rerum in urbe summa incumbe-
bat

bat inito consilio cum reliquis Ducibus Classa
 statuit partem urbis excindere & re Dalm
 quam tanto fortius retracto in illam pra cupaf
 fidiaro milite tueri, & sic nova auxilia qu mio ca
 à portu Veneto soluta sub Duce Miranda millic
 lano advenire dicebantur, tutò expectant pensis
 fed Novalea Gallorum auxiliarium Dur mani
 quòd sibi à Rege Ludovico præscriptum Chri
 morarum tempus præterire non posses Turc
 causatus, neglectis omnium Ducum præ ter ru
 eibus discessum suorum molitur & octo
 get. Discessu hoc Vezirio patefacto, vagger
 Galli naves conscenderant, tum ille fro In
 mente impetu obsessos oppugnat, itate Austr
 men exceptus ut post præsidii diminutio Prop
 nem non pariter animos & robur pugnae simu
 di diminutum esse luculento experimento officii
 sentiret: Tandem tamen, post adventum sit, &
 Mirandulani qui ex mille & quingentis to p
 quos è portu Veneto eduxerat, nonni Jo
 sexcentos milites in Candiam intulit, reli goni
 quis omnibus variis ægritudinibus in ite A
 nere confectis aut detentis, die 6. Septem He
 bris de facienda deditioe tractari capo tania
 tum est, & data est Barbaris insula excep felici
 tis Sudæ Garabufarum, & Spinæ longæ filio
 arcibus & oppidis littoralibus cum suis tutæ
 districtibus, & relaxata reciproco Turca rito
 rum consensu Venetorum reipublicæ nece
 classa

Cassa arce cum cæteris oppidis, quæ in
Dalmatia vel Albania durante bello oc-
cupassent. In hac obsidione quæ trien-
nio duravit, insumpsere Veneti quatuor
milliones nummorum scutatorum, iis ex-
pensis exceptis, quibus omnis generis
munitiones comparata, periere militum
Christianorum 29 millia & Octoginta octo,
Turcarum autem septuaginta millia præ-
ter rusticorum & captivorum triginta &
octo millia, qui in suffodiendis cuniculis,
aggeribusq; operam præstare coacti sunt.

In Hispania motus concitavit Joannes
Austriacus demortui Regis Philippi nothus
Propterea Nithardus, quem Joannes potif-
simum insectabatur, obtentâ a Regina
officii sui exauctoratione Romam disces-
sit, & ibi Cardinalium Collegio nona mul-
to post adnumeratus est.

Joannes verò Austriacus Pro-Rex Ara-
goniæ constitutus.

Æthna & Vesuvius mirè exardescunt.

Henrica Maria Borbonia Caroli I. Bri-
taniæ Regis vidua vitâ decedit, forte in-
felici adeo & tot annis jactata ut proprio
filio ad thronum revocato consors resti-
tutæ felicitatis esse noluerit. Sic jure me-
rito Anglos, qui marito suo probrosam,
necem intulerant, averfabatur.

Cle-

Clemens IX. Pontifex factis Sancto-
 adscribit Petrum de Alcantara Franciscanorum Ordinis, & Mariam Magdalenam Ordinis Carmelitici, nec multò post moritur, cui sequenti anno cum sedes quindecim menses vacasset, in locum à purpuratis Patribus subrogatus est Æmilius Altieri à Clemente IX. dum in extremis agens factus Cardinalis, & ob id ipse quoque nomine Clementis X. insignitus, vir omnium curiæ officia exercitatissimus, tam tenuis nominis, existimationis & modestiæ, ut oblatum Pontificatus honorem sinceris votis renuerit, & precibus Cardinalium pænè coactus admiserit.

Salisburgi montis ruinâ multæ ædes plurimi homines obruuntur.

✱(1670.)✱ Petrus Comes Zrinius Franciscus Christophorus Marchio Frangepanus, & Franciscus Comes Nadasdy præcipuæ inter Hungaros nobilitatis cum Erasmo Comite à Tattenbach Styria & multis alijs collatis cum summo Turcico cum Vezirio consilijs & repetitis legationibus subsidijs imploratis, delectatis habere, arces & oppida, quæ minis, & armis invadere non destiterunt, usque dum Augustissimus Imperator cuius vitæ iteratas insidias struxerunt, missis in Hungaria

gariam copiis, sub Comite Sparcavio hæc
 rebellium capita comprehendendi, & victos
 teneri curavit, arcibus & urbibus, quæ re-
 bellibus faverant, vel favere meditaban-
 tur, receptis, & Germano præsidio cu-
 roditis, Comites Zrinius & Frangippa-
 nus Viennam: Tattenbachius Græcium
 in Styria, Nadaustus Neostadium captivi
 ducti.

Die 2. Januarii Cæsareus aquilex aulici
 putei fores violatas, adjectis ponè canino
 cadavere, ascia, vannoque calce refertâ,
 reperit, unde potens suspicio veneni in
 fontem immissi exorta est.

Judæi die 14. Februarii publico Cæsa-
 ris edicto Viennâ proscribuntur, & die 18.
 Augusti interest ipse Imperator Ecclesiasti-
 cæ inaugurationi, quâ synagoga Judæo-
 rum in Templum Dei, ejus jussu dedica-
 batur sub patrocinio S. Leopoldi Austriae
 Tutelaris.

Die 17. Februarii celebrantur nuptiæ
 inter Michaëlem Poloniæ Regem, & Eleo-
 noram Archi-Ducem Austriae, Augustis-
 simi Cæsaris sororem, quæ ad omnia co-
 pulationis quæsitâ Latinè respondit.

Ex Augustissima Imperatrice die 20. Fe-
 bruarii nascitur Archi-Dux Austriae Joan-
 nes septimestris, & moritur eadem die.

T

Pria-

Princeps Ragotzkiana vidua pro filio suo læsæ Majestatis reo, supplex Augustissimo Cæsari transactione quâdam veniam sollicitat, & obtinet, filio in certam mortem condemnato.

Franciscus Josephus Borry Medicus & Chymicus in fide suspectus jussu Cæsaris capitur, & Romam transmittitur.

Joannes Adolphus Comes à Schwartzenberg creatur ab Augustissimo Principe S. R. Imperii.

Die 27. Julii Cassovia hætenus rebellis Cæsareo Generali Sporckhio se dedit. Idem Sporckius die secundâ Augusti rebellibus Eperiesinum eripit.

Egregiè quoque per Hungariam & Croatia in schismaticorum reductione ad unionem Ecclesiæ, & cum optato successu laboratur, maximam operam ad id conferente Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Comite Leopoldo à Kollonitz, tunc Episcopo Neostadiensis.


Duces Brunswicenses occupant Brunswicum, quæ urbs se pro liberâ multum jam annis gerebat.

Obiit in Dania Fridericus hujus nominis III. Rex variâ fortunâ exercitus, quæ ob singularia sua merita hæreditariam familiarum milix coronam à Statibus regni consecutus

tus est: Cuius filius Christianus hujus nominis V. successit.

Carolus IV. Lotharingæ Dux, quod contra initos cum Ludovico Rege tractatus copias aleret, & crederetur nova in eum moliri Regis jussu à Marchione Forillio penè Nanceii interceptus die 26. Augusti celeri se fugâ surripuit, occupatâ Gallicis armis repentinâ invasione totâ Lotharingiâ: Aliquot mensibus antè, scilicet 2. Januarii decesserat è vivis Franciscus Caroli IV. Ducis frater, vir per omnia probatæ pietatis, & novercantem ubique fortunam expertus, qui pater fuit Caroli V. Ducis Lotharingæ.

Ludovicus XIV. Rex Gallix invadit conditiones Hispanicas in Belgio.



DECAS VIII.

✽ (Ab anno Christi 1670. ad 1080.) ✽

1671. Tandem post multos & inutiles questus, & mendicata à variis Principibus officia, quæis mortem deprecarentur, conjuratæ rebellionis pœnas ultima supplicio dedere Viennæ Franciscus Comes Nadasti, & Neostadii Petrus

T 2 Co-

Comes Zrinius, & Franciscus Christophorus Marchio Frangippanus die trigesimo Aprilis ense carnificis cæsi, & bonorum ad fiscum devoluta sunt, quæ tamen hæredibus pietas Cæsaris, exceptis arcibus & locis munitis (ne iis ad novam defectionem abuterentur) concessit. Delatum est Erasmo Comiti Tattembachio per aliquot menses supplicium ob naturam Brandenburgico Electore controversiam de aliquibus feudis, quæ hac morte ad se devolvenda præsumebat: Sublata hac controversiâ die primo Decembris ipse quoque Græci in Styria in domo Provinciali tertio idu decollatus est. Ingegnit quidem ad fortunam tantorum virorum Clementissimus Leopoldus, sed benignissimi etiam Principes coguntur in sedes, quando acerbitas mali pietatem non assittit.

Clemens X. quinque Beatos in numerum Sanctorum refert, Cajetanum Thevenum, Philippum Benitium, Franciscum Borgiam, Ludovicum Bertrandum, & Rosam Limensem: die 24. Augusti utraque Cæsarea Majestas Canonizationem S. Borgiæ Viennæ solenni pompâ recoluit.

Tota Christianitas concurrit ad arma Poloni inter se & cum Rege discordant.

Hungaria rebellis armis & suppliciis subigitur: Augustissimus Imperator, Hispanus, Gallus, Anglus, Danus, Svecus, magni Imperii Principes, Moschus & Polonus distrahuntur curis defendendi & offendendi, qui si unanimiter contra Turcā, potius, quam in se mutuo arma convertere voluissent, Ottomannico Imperio haud leuem ruinam intulissent: Interim Cæsar Hispani, & Hollandi progressibus Gallicis metas ponere volentes fœdus inter se inveniunt, nonnullis Imperii Principibus Gallo adhærentibus, cujus dissidii auctor fuisse fertur (præcipuè ejus, quod fuit inter Electorem Coloniensem & civitatem Coloniā) Wilhelmus Fürstenbergius, publicā fide Gallis devotus.

Propter annonæ caritatem magna exoritur Messanæ seditio popularium contra nobiles, eò quod hi frumenta avaris questibus aliò averterent; quare ad sedandum populum multi nobiles expulsi exilio & bonorum jacturā multati sunt a Præfecto armorum, adversus quem propterea pars nobilium arma convertit tanquam fautorem plebis, quo in tumultu, qui Regiis partibus adhærebant, nomine *Merlorum*; qui verò seditiosis popularibus, *Malvizorum* nomine compellati sunt.

✱(1672.)✱ Nascitur Viennæ die 9 Februarii Archi-Dux Austriae Maria Josepha, Antonia, Apollonia, Scholastica, sed die 23. eadem è vivis excedit, usque adeo verum est: *Nascimur & morimur, id est que nascimur morituri, quia prius morimur nascituri.* S. Bernardus.

Augustissimus Imp. Viennæ die 19. Aprilis in Ecclesia RR. PP. Augustinianorum Cardinali Baadeno Durlacensi Fuldensis Ecclesiae Abbati & S. R. I. Principi Cardinalitium biretum imponit.

In Podolia Caminecum à Turcis captur die 27 Augusti incuriis nimium ad defensionem Polonis, quia fortuna captis Turcarum obsecundavit, insuper totam Podoliam, Uckraniam & Borussiam à Polonis exposcere non sunt veriti: & quod dictu factuque probrosum est, Poloni has Provincias non aliter quam pacto tributo redemere, & ne ulterius armis vapularent, turpem pacem mercati sunt.

Augustissimus Leopoldus multa templa per iniquitatem temporum ab hæreticis prophanata usibus Catholicorum restituit, in superiore autem Hungaria, *Malè contenti* ut vocabant, die 2. Octob. cum exercitu viginti millium Eperiesinum occupant, quos missi cum exercitu excellentissimi
Duces

Duces Esterhasius & Koppius fortiter reprimunt, non procul Cassovia plurimis eorū cæsis, multis captis & 15. vexillis ereptis.

Ludovicus XIV. triplici exercitu Gallico invadit Hollandiam & maximos belli progressus facit victoriâ ubique Gallos comitante & urbium claves porrigente, ut fere actum videretur de Hollandica republica, nisi arma conjunxissent Imperator, Hispani, Hollandi, Brandenburgicus & Imperii Principes & torrentem Gallicarum irruptionum cohibuissent.

Vocati quoque à Gallis in Belli societatem Angli cum Batavis navali certamine acerrimo contendunt pro his Adriano Ruitero, pro Anglis autem, Duce Eboracensi & Comite Estreo classium Architallassis imperantibus.

Seditioso plebis tumultu Hagæ Comitum fratres Cornelius & Joannes de With trucidantur, quòd auro Gallico corrupti pessum ire omnia (ii quibus maximæ reipublicæ cura incumberebat) permiserint, in aliis quoque locis in eorundem clientes & amicos sævitum est, & superior armorum præfectura collata Wilhelmo Henrico Principi Auriaco.

Romæ Josephus Borry hæresiarcha anno præterito in Germania jussu Impera-

toris captus, sua deliria solenni execratione ejurat, cui pietas Leopoldi Cæsaris impetravit à Pontifice ut vita donaretur.

✱(1673.)✱ Diem clausit Viennæ in Austria Margaritha Leopoldi Cæsaris conjux die 12. Martii anno ætatis 21. gravida prole masculâ. Quem partum rapax mors Augustissimæ domui & toto Imperio invadebat.

Die 21. Aprilis nascitur Serenissima Wilhelmina Augusti Regis Josephi Augusta Conjux.

Die 13. Octob. Augustissimus Leopoldus suam secundam sponsam Claudiam Felicitatem Archi-Ducissam Tyrolensem in Gotzwien salutât, & die 15. Octob. Græci nuptias celebrat, & 11. Novembris solenni pompâ Viennam cum FELICITATE ingreditur.

Augustissima Domus Austriaca, cujus opera, zelo, ac industriâ fides Catholica in Europa conservata, in Indiis autem longè latèque propagata, quartum sæculum Imperii complet.

In Polonia Sobieskius summus regni Mareschallus de Turcis insignem in Ukraina victoriam reportat, & Caminecum obsidet, verùm ob anni tempestatem, tum etiam ob instantia Comitum, Rege Michaeli defuncto desistere, cogitur. In

In Lusitania Procures quidam conjurant in Petrum regni Lusitanici Administratorem, sic enim se appellabat, & nunquam sibi Regis nomen usurpabat, quamdiu frater ejus Alphonsus adhuc in vivis esset, sed mox præcipui conjurati capite luunt, & Petri filia unica hæres regni declaratur, futura post Petri mortem.

Oriuntur dissensiones inter Ludovicum XIV. Regem & Republicanam Genuensem propter triremes Gallicas à Genuensibus hostiliter infestatas: Ut iræ Regis satisfaceret Respublica, nobilium aliquot Legationem jussu Ludovici destinare debuit pro pace & venia exoranda, atque ita placatus est, maximeque Caroli Regis Britanniaë interventu.

Magnus Dux Moschoviaë ad Summum Pontificem legationem destinavit, pollicitus in rei Christianaë favorè, opem contra Turcas, & offerens se socium belli Polonis contra eosdem pugnantis, sed quia Cæsaris titulum, quem à Pontifice Legatus Duci suo dari præsumebat, non accepit, re infecta & irritatus abiit.

Ludovicus XIV. in Alsatia urbes, quas vocant *Imperiales*, occupat, itemque Treviros, & quia Cæsar tracto in societatem belli Imperio jam bellum denunciârat

tanquam alienarum ditionum inuasori, Turrenium cum exercitu mittit in Franconiam ad Cæsareum exercitum vel morandum, vel debellandum.

Die 14. Augusti Cæsar Viennâ abito Egram ad armilustrium sui exercitus in Imperium destinati: ibidem die 20. Augusti salutatur Augustissimus in campo Egrensi a Joanne Georgio secundo Electore Saxonæ, quò etiam accelerato itinere venit Episcopus Bambergensis, Petrus Philippus ex familia Dernbach Franconici Circuli Director expositurus imminens ab hoste jam præsentè periculum deditiois munitissimæ arcis Mariæburgensis supra Herbipolim, nisi auxiliares Cæsareæ copix in præsidium advolarent: Quod & præstitum celeriter, Montecuculo cum Cæsareo exercitu incredibili celeritate in Franconiam veniente, qui Turrenium propè Oxovium subsistere, & castra aliquamdiu otiosa morâ figere compulit, donec Gallos aut viribus fractos, aut spe suâ delusos inopinato & festino Cæsarei exercitus motu, quo ad Bonnam obsidendam properabat, ex Franconia iterum extraxit, & ad Rhenum regredi coëgit.

Bonnam porrò die 12. & 13. Novembris Montecuculus & confederati post
 27 obli.

obsidionem octiduanam Gallis eripuit, & reliquam Electoris Coloniensis ditionem recepit.

Interea quoque Britanniae Rex post triplicem navalem pugnam cum Batavis gestam eisdem non tam consilio, quam jussu Anglorum reconcillatur, unde Ludovici XIV. armorum progressus multum retardari & sufflaminari coepit, ut Batavis redderet 32. oppida, sed munitionibus bellicis & pecuniis valde emuncta.

(1674.) Mandato Augustissimi Imperatoris Marchio de Crana Wilhelmus Principem Fürstenbergium Ludovico Regi Galliae contra Caesarem & Germanos contribules suos devotum, Coloniae consilio & industriam usum, per armatos milites comprehendit, & cum eo ingens pecuniae pondus (quam postea ut suam Rex Ludovicus repetiit) & Viennam die 14. Februarii transmittit, ubi custodiae traditus est tanquam auctor & suasor multorum contra Imperium & Imperatorem perperam actorum.

In Comitibus Polonorum die 10. Maji Rex salutatur Joannes Casimirus Sobieski Coctziniensi victoriam illustris, quam anno superiore à Turcis retulit.

In Hungaria Prædicantes tanquam in-

centores & authores rebellionis judicialiter Pofonii convicti ex regno Hungariae proſcribuntur, Acaholici autem rebelles in Superiore Hungaria palam Turcis adhærent, & his nihilo meliores, varias hoſtilitates in Catholicos exercent. Interim in civitatibus liberis & Regiis Hungariae Magiſtratus Catholicus Acaholico ſubſtituitur.

Rex Ludovicus iterum invadit Burgundiam, & Turrenius cruentum prælium die 2. Auguſti committit ad Seneffam, in quo Gallorum ſeptem millia, & foederatorum vix pauciores occubuerunt, Galli tamen primi campo ceſſerunt.

Die 24. Septembris Turrenius prope Argentoratum poſt decem horarum prælium Cæſareis cedere cogitur, amiſſis undecim equeſtribus & aliquot peditum vexillis, nec non quatuor millibus armatorum, ſed & Cæſarei propè tria millia ſuorum, & quatuor vexilla deſiderabant: *Nullum enim bellum durius aut atrocius eſt, quàm illud, quod adverſus viros fortes ac ſapientes geritur.*

Carolus Elector Palatinus mittit ad Turrenium, qui eum ad ſingulare inter utrumque certamen provocaret, eo quòd miſerè devaſtaſſet ſuum Palatinatum

sum, & talem vastationem indignam, nobili Duce crederet, sed Turrenius detrectato duello victorum privilegio uti perrexit.

Dux Schömburgius cum Gallico exercitu vincitur ab Hispanis in Catalaunia, copiis suis partim cæsis, partim fugatis, & Belgardiâ non ignobili civitate iterum ad Hispanos redeunte, & periisset in Catalaunia penitus res Gallorum, nisi Messana seditio Hispanos avocasset, & vires distraxisset.

Seditionis autem Messanæ tale fuit initium: Cùm in die quodam festo, quod solenni pompâ Messanæ celebrari consueverat, quidam picturam exposuisset, in quâ ad Regis Catholici pedes duo simulachra jacebant, cum hac epigraphe: *Cadit falsitas, surgit veritas*: per falsitatem quidam sugillabant armorum Præfectum, minari & insultare coeperunt expositori, quem etiam Præfectus carceri propterea mancipavit, pars verò populi Præfecto adversa tumultuari & expositorem imaginis laudare, atque in libertatem restituendum deposcere, Præfectus, ut se contra tumultuosos tueretur, milites convocat; & Senatum tanquam huic seditioni consentientem severius increpat, quo facto

T 7

popu-

populus adhuc efferatior factus compul-
 satus campanis & civibus, unanimiter cum
 militaribus copiis congregitur, fit stra-
 ges utrimque etiam tormentis bellicis ex
 castello contra cives haud bruto fulmine
 detonantibus exciti sonitu tormentorum,
 & ære campanæ rustici ex pagis quoque
 accurrunt pro armatis civibus & urbe con-
 tra Præfectum & Regios pugnaturi, Præ-
 fecto interim cum militibus intra palatium
 se recipiente, & fortiter muniente: civi-
 bus autem partes urbium & mœnia ac pro-
 pugnacula ex Senatûs Imperio occupan-
 tibus: eoque tandem devenit, ut nec Pro-
 Regem cum manu militari adventantem
 admitterent, sed tormentorum explosio-
 ne arcerent, imò & Regi Ludovico sese de-
 dere pararent, si in hac seditione assisteret;
 nec defuit Ludovicus XIV. opportunam
 occasionem nactus, etiam in his ditionibus
 Hispanos infestandi, & navali prælio op-
 pugnandi, quod utrimque multis sumpti-
 bus longo tempore arte, industriâ, sangui-
 ne & vitâ multorum constitit.

Carolus Dux Lotharingæ, qui exau-
 doratus & exutus suis ditionibus, propriis
 tamen copiis in Cæsareo exercitu milita-
 bat, cum audiisset prope Argentinam utro-
 que exercitu sese mutuo observante, quin-
 gentos

gentos nobiles Gallos in castra Turrenii adventare per Lotharingiam, per inviam montium cum aliquot equitum cohortibus illis occurrens, ita incautos oppressit, ut fere omnes caesi fuerint, centum tantum & quinquaginta captivis abductis cum opimis spoliis, quæ nobilium illorum suppellex suppeditabat,

Carolus Rex Sveciæ, ut Gallis gratificaretur, Cæsari & Brandenburgico Electori bellum indicit; verum Rex Daniæ contrario foedere eodem tempore Cæsari se adversus Svecum conjungit.

In Hungaria novus rebellium Ductor Töckelius apertâ vi & occultis insidiis Leopoldo Imperatori & Catholicæ religioni excidium machinatur.

✽(1675.)✽ Jubilæum Romæ magno concursu celebratur.

Die 5. Januarii obsidio Brisaci à Cæsareis & confederatis, advolante cum exercitu Turrenio, solvitur. Die 11. Januarii Germani Gallis in Alsatia prævalentibus planè excedunt.

Die 19. Martii S. Josephus Christi in terris Nutritius à piissimo Cæsare Leopoldo in Tutelarem suorum regnorum & Provinciarum magnâ pietate & solennitate eligitur.

Die

Die 25. Martii castrum Leodiense per aureos cuniculos Galli ingrediuntur perfidiâ Commendantis, qui idcirco poenas dedit, *Quisquis enim scelus fabricat, vindictam sibi cudit.*

Rex Ludovicus XIV. antequam foederati de armis sumendis ex hybernis prodituri cogitarent, præviis incendiis, quibus hominum 25000. se in sylvas recipere coacti sunt, suæ potestatis fecit, seu terrore, seu obsidionibus varias urbes in Belgio, & sic in Galliam revertitur, dato militaribus Archistrategis documento: *Frustrâ eos fortunæ favores præstolari, quos piger in stadio cursus remoratur.*

Dum prope Rhenum ad oppidum Sasbach Cæsareus & Gallicus exercitus cursu & recurso sese exagitant, & Turrenius locum captat, quo castra tueatur adversus Montecuculum, majoris tormenti globo percussus vitâ prorsus improvisâ clade amittit die 25. Julii rectè Strada, *Unâ, inquit, interdum clade amissis fortibus viris tanquam succisis nervis reliquus exercitus vigore & viribus destituitur.* Castra enim Gallica tormentis Cæsareis ibidem usque ad 30. diem Augusti continuò impetita, nocte ab imbrium copiâ valde intempestâ sublatis castris ultra Kinsigium ac Wildstadium se recipi.

recipiunt, relictis bis mille curribus impedimentorum & copiosâ annonâ Cæsareo militi.

Die primo Augusti cæduntur Galli prope Wasseneckum, pelluntur etiam a suo ponte navali intra Goldscheuer & Altenheim & à fugâ Sasbacensi usque in hanc diem amittunt quinque millia virorum: cedentes Cæsareis multa vexilla equestria & pedestria: pro Turrenio occiso successit Condæus è Belgio à Rege advocatus.

Die 5. Aug: Treviros obsident Cæsarei.

Die 11. cæsi Galli ad Saarbruck amittunt tria millia suorum, & quingenti capiuntur cum undecim tormentis, 47. vexillis, duobus tympanis majoribus.

Die sexto Septembris cæso prius exercitu Gallico traduntur victoribus Cæsareis Treviri, ipso Crequio captivo cum perruptis obsidentium castris suppetias obsessis inferre tentaret.

Die 13. Septembris Viennæ nascitur Serenissima Archi-Dux Maria, Josepha, Gabriela.

Poloni hoc anno cum Turcis vario Marte configunt, ad Leopolim autem ingenti clade afficiunt, ut per plura milliaria viæ cadaveribus occisorum stratæ fuerint.

Bran-

Brandenburgicus fufis Svecis varias urbes eripit.

Ducatus quoque Verdenfis & Bremenfis, unâ urbe Stadiâ exceptâ Principibus Brunfwicenfibus & Monafterienfi Epifcopo cefferunt.

Rex Daniæ quoque deletâ claffe Svecorum in Wifmarieni portu omnia navigia, quæ ibi erant, incendio destruxit, & Wifmariam occupavit.

Carolus Lotharingiæ Dux extinguitur anno ætatis 75. Princeps per omnes Fortunæ casus exercitus.

Hispani & Hollandi totâ æstate steterunt in armis, & nihil memoriâ dignum attentârunt.

Meffinenfes rebelles paulatim deficiunt à Gallis, & auxilia illorum averfantur, quia annonam non fufficientem pro octoginta hominum millibus in urbe congregatis invehunt, tum etiam quia experti funt, quòd in contubernio mulierum ifti hospites fuo genio liberalius indulgeant.

Mare infolitâ fluctuum agitatione intumescens, in finu Balthico classem 36. onerariarum Batavicarum abforbet, & rupto aggere in Hollandiæ quodam tractu quadraginta pagos cum omnibus hominibus & jumentis undis profundiffimè cum telis & turribus sepelit.

✱(1676.)✱ Corona Svecica Gallicæ confœderata Ratisbonæ trium Imperialium Collegiorum consensu a voto & a sessione suspenditur.

Die 16. Martii duo Campi-Ductores Gallici Monclafius & Laproschius cæduntur in pago Buchholz a Cæsareo Belliduce Schultzio amissis suorum sexcentis, & ambo ipsi cum quatuor tormentis captivi abducuntur.

Die 8. Aprilis moritur Imperatrix Claudia Felicitas, anno ætatis suæ 24. naturæ & gratiæ donis suâ ætate nulli Principum sceminarum inferior.

Die 29. Aprilis Munimentum Rhenanum, vulgò die Rhein-Schanz / ab exercitu Cæsareo Imperiali eminens angitur, & datur initium victoriosæ obsidioni Philippopolitanæ.

Mars quoque Gallicus etiam in tempestate hyemali irrequietus fervet, in mari siculo die 8. Januarii pugnatum est inter classes Gallicam & Hollandicam damno utriusque æquali: Ditis Bipontina a Ludovico occupatur, prætextu fœderis cum Sveco ad quem jus successionis pertineret si Bipontinus tunc provectæ ætatis moreretur, itaque Cæsari præveniendum esse in favorem coronæ Svecicæ.

In

In Belgio capta sunt a Gallis Condæum & Buchainum, aliæq; plures urbes, in finibus Alfatix & Burgundix urbs montis Pelicardi.

Iterum die 22. Aprilis pugnatum in mari Siculo, Quesnio Comite, Gallis & Ruitero fæderatis Hispanis & Batavis Imperantibus, etiam nunc æqualibus damnis, nisi quod mors Ruiteri damnus majus intulisse fæderatis videatur.

Die 9. Maji munimentum Rhenanum ad Philipsburgum expugnatur a Cæsarianis.

Die 11. Julii moritur serenissima Archidux Maria, Josephæ, Clementia, Anna, Gabriela, Antonia, Francisca, Dominica, Theresia, Eva, Placidia.

Die 17. Septembris Carolus V. Lotharingæ Dux, extincti anno præterito Caroli alterius nepos, præfectus summâ auctoritate copiis Cæsareis Imperialibus, Philipsburgum validissimum munimentum, formatâ obsidione post sex mensium acerrimam oppugnationem deditione accipit, repertis intus 85. tormentis, fuit autem Dux Generosissimus & expertissimus non tantum munimenti fortissimi victor, sed insigni etiam clade affectit Luxemburgicum Ducem, qui, neglecto Condæo, Gallico exercitui præpositus a Ludovico urbi obsessæ

obsessæ suppetias variis & miris machinis adhibitis inferre moliebatur.

Die 15. Octobris declarata pro tertia Cæsarea conjuge moderna Augustissima Imperatrix Eleonora Magdalena, Theresia ex Domo Palatino-Neoburgica. Die 12. Decembris Augustissimus sponsus suam tertiam sponsam Neoburgi prope Passavium salutatur, & die 14. Decembris solenni ritu nuptias Passavii celebrat.

In Hungaria quamvis Clementissimus Imperator heterodoxis rebellibus ministris ad triremes damnatis poenam remisit, pergunt tamen A catholici rebelles Turcarum auxilia contra suum legitimum Regem & Christianitatem sollicitare & excursionibus, rapinis & latrociniis Hungariam turbare. Cæsar autem fædus init cum Moschis.

Stetinum à Brandenburgicis obsidetur & aliæ complures munitiones eripiuntur à confederatis autem Trajectum ad mosam frustra oppugnatur.

Classis Hispanica in portu Panormitano à Duce Vivonio novis copiis ex Gallia aucto, immixtis celocibus incendiariis flammis majori ex parte absumitur. Non tamen obtinuit Vivonius præcipuum facinoris fructum quem intendebat, si inter

cen-

confusos hostes in portū illabi, & à Panormitanis recipi posset, quorum exemplo sibi cæterarum Siciliae urbium defectionem spo debat.

Moritur Clemens X. Pontifex optimus & in ejus locum omnium calculo dignissimus eligitur Cardinalis Odeschalcus Innocentius XI. dictus.

(1677.) Cogitatur de pace tractanda Neomagi & die 11. Maji primæ generales conferentiæ de pace fancienda habentur Neomagi, tum à Mediatoribus tum à Legatis partium litigantium.

In Hungaria rebelles continuant consueta Latrocinia per Hungariam: Eperiesinum autem irritò conatu oppugnant, excursiones tamen suas ad montanas usque civitates promovent, eodemque anno in caput factionis suæ Emericum Töckelium constituunt & mox viribus suis diffisi petunt à Cæsare armistitium & impetrant.

Vix remittente summâ hyemis asperitate Rex Ludovicus Valencenas Hannoniæ urbem, Cameracum & Audomaropolim aliaque loca occupat.

Carolus autem Dux Lotharingæ & septuaginta armatorum millium Archistrategus, trajectis cum exercitu suo Mosæ & Mosellæ fluminibus ad fines Campa-
niæ

nix penetrat, frustra omnibus viribus, & pagorum exustione & viarum interclusione obstante Crequio, ne tamen ultra progrediretur, prohibuit necessitas Duci Saxonix Eissenaci suppetias in Alsatia ferendi. Crequius autem jam æstate elapsa & simul defervescente jam ineunte hyeme Germanorum impetu, Briscojensem tractum invasit, & Friburgum ejus primariam urbem improvise obsidione, & festinatis impressionibus post dies octo deditio- ne accepit, non tamen absque suspitione proditionis, unde parva gloria in victo- rem ex aliena perfidia dimanavit.

In Hispania Carolus novam auctoritatis Regix administratione susceptam rebus ge- rendis primarium ministrum præficit Jo- annem Austriacum fratrem suum, rogatur- que Regina ut libero ostracismo cum qui- busdam regni ministris sese subducatur.

Colligitur vis ingens auri, argenti, gem- marum & supellectilis pretiosæ ex unius Ferdinandi Valenzoulæ marchionis Villase- riensis bonis fisco addictis, qui hactenus to- tius regni arbiter, Reginx auctoritate abu- sus dicebatur: Unde tumultus varii in au- la Hispanica & sermones in regno. Lues deinde gravis grassata est per totam Hi- spaniam quæ vix vertente anno est seda-
ta,

ta, reperto ejus sanandæ remedio, quod promptissimum fuerat, expressus scilicet è malis limoniis succus, quod hæcenus ignorabatur.

Auranum in ora Africæ frustra Barbari obsident, immisissis protinus auxiliis tum ab Hispanis, tum à Petro Lusitanicæ Administratore.

Dani & Sveci clade alternâ se conficiunt, Stetinum autem in Pomerania postquam omnia passum esset, quæ in longa obsidione ferre solent obsessi, maximè in diem, quæ ad equos, canes, feles, & mures comedendos jam adegerat, tandem Brandenburgico Electori se dedit, post annum ferè obsessionem.

Romæ inter Pontificem Innocentium & Oratores Hispanum ac Gallicum oriuntur dissidia: prævaluit autem æquitate Pontifex, & propter gravissima incommoda, quæ ex prætensis Oratorum immunitatibus in urbem illam, Caput Orbis Christiani emanabant, prohibuit edicto Principum exterorum insignia figere ad januas, quasi hæc contra publicæ justitiæ ministros quorumvis criminum vindictam arcerent: quod uti acerbam querelarum fegetem primò, sic postea dum sanioris judicii sensus maturuere, fructus optimos parturit.

(1678.) Ad instantiam Augustissimæ Imperatricis Eleonoræ Innocentius XI. Pontifex decernit Officium Desponsationis B. Mariæ Virginis cum S. Josepho recitandum die 23. Januarii.

Die 6. Februarii copulatur Neostadii Austriæ ab Ordinario loci Episcopo Leopoldo à Kollonitz, Augustissimi Cæsaris soror Eleonora, Poloniæ Regina vidua, cum Serenissimo Lotharingiæ Duce Carolo V.

Die 22. Martii Cæsareus Archistrategus Comes Raymundus Montecuculi in Principem Imperii à Cæsare evehitur, ei que titulus mortui Ducis Amalffi attribuitur ob Imperatore.

Sponsalia inter Serenissimam Archiducem Austriæ Mariam, Annam, Josepham, Augustissimi Cæsaris sororem, & Serenissimum Joannem Guilielmum Electorem, Palatinum contrahuntur die 2. Junii, & die 25. Octobris nuptiæ celebrantur Viennæ.

Die sextâ Julii Crequiùs Cæsarianos ad Pontes Rheinfeldanos valde premit, ita ut plures ex ponte (dum instantibus à tergo Gallis intra urbem sese festinanter recipere voluerunt) attriti, & plures de ponte in Rhenum dejecti perièrint: quos

U

inter

inter suffocatus etiam est Serenissimus Princeps ac Marchio Badensis Carolus. Obsedit deinde Crequiis Rheinfeldam, sed cedere coactus est, strenuè Cæsareis sese defendentibus.

Die 26. Julii nascitur Serenissimus Archi-Dux, nunc Augustus Romanorum & Hungarorum Rex JOSEPHUS I. *Magnum & non mediocre munus DEI, dare liberos, propagatores generis, successione hereditaria.* Ambrosius in Luc, 1.

In Hungaria A catholici rebelles accitit Gallorum, colluvie & infimæ fortis Polonorum Eperiesinum irrito conatu aggrediuntur, deinde montanas civitates auriferas & argenti-fodinis abundantes invadunt & expilant, multaque alia oppida & pagos expoliant.

Rex Ludovicus XIV. summâ celeritate movet in Belgium, & Gandavum, Iprimum, ac Læviam occupat.

Dux Lotharingiæ Carolus Friburgum in Briscovia recuperare frustra conatur, impeditus à Crequio; unde æstas alternis tantum castrametationibus utriusque exercitûs, & velitationibus utriusque partis alternis victoriis & damnis transacta est.

Epidaurienses à Turcis lacessiti rogant suppetias apud Pontificem, aliosque Principes. Sveci

Sveci & Dani mutuò se atterunt.

Ludovicus XIV. Rex pertæsus protectionis, quam hætenùs Messanensibus exhibuerat, eos tandem fatis propriis relinquere statuit, revocatis militibus suis in Galliam, quos ut salvos & incolumes educeret (res enim erat plena periculi, ne Messanenses ipsos conficerent, si deserendos, & Hispanis ad ultionem severam sese relinquendos esse, experirentur) immissus est Dux Foliadeus, qui prudenter & cautè id efficeret; Finxit itaque primò, se vicinarum urbium obsidionem moliri, quo prætextu iussis naves subire copiis, se è civitatis aspectu proripuit, ibiq; subsistens Consules ad se vocatos, quasi rem cum eis majoris momenti collaturus, eos Regis sui voluntatem edocuit. Biduum vix Consules exoravère, in quo liceret iis è Messanensibus classem conscendere, qui Hispanorum clementiam despondentes, libero se exilio subducere vellent; unde factum, ut quadringentæ quinquaginta præcipuæ familiæ Messanensium discederent, & in Massiliam navigarent, ex quâ urbe, protractâ paucorum mensium morâ, novo iterum exilio è totâ Gallia facessere iussi sunt, eo vel prætextu, vel verâ causâ, quòd Massiliensem portum prode-
re & incendere voluerint.

U 2.

IV. Idus:

IV. Idus Augusti Batavi seorsim cum Rege Ludovico XIV pacem ineunt, recipientes Trajectum; Insequente autem Septembri iterum seorsim pangunt pacem cum Ludovico Hispani recipientes Gandavum, Limburgum, Carloreum, Bingium, Athum, Audenardam, Cortracum, Læviam, lubenter in hæc inclinante Ludovico, ut Cæsarei ad duriora pacta adigerentur.

✱(1679.)✱ Die 5. Februarii constituitur Noviomagi Cæsarem & Imperium inter ex unâ, Galliæ item & Sveciæ coronas ex alterâ parte pax nova, vel potius confirmatur, pax Monasterii & Osnaburgi conclusa ante annos triginta. Viennæ pax promulgata est die 14. Maji.

Hungaria necdum ab intestinis tumultibus rebellium conquiescit, novis suggestionibus Töckelio & Abaffio Transylvanorum Principe animos accendentibus, fortiter autem obnitentibus Cæsareis & Præfidiariis Germanis strenuè & fideliter urbes sibi demandatas custodientibus.

Fatis concessere Monachii Ferdinandus Maria, utriusque Bavarie Dux, & Madriti Joannes, Philippi Hispaniæ Regis nothus; uterque florentis ætatis, cum neuter quinquaginta annos attigisset.

Ad

Ad sancitæ pacis inter Hispanos & Gallos firmamentum Rex Carolus Mariam Aloysiam, Philippi Aurelianensium Ducis filiam in uxorem duxit.

In Anglia famosâ alicujus hominis nau-
ci temeritate & fraude multiplici, menda-
ciis, ac perjuriis traducuntur Catholici,
quasi rei proditionis in Regem Carolum,
quem conjurato facinore efferre statuis-
sent. Titus Oates Calvinianorum ad Ca-
tholicos, & ab istis ad primæ hæresis se-
ctatores transfuga, accusationis auctor
fuit, eo solo diris & suppliciis devoven-
dus, quod nullum repererit, qui suæ cri-
minationi adstipularetur: nihilominus ta-
men quasi de re necessariis argumentis
probatâ statuere gestiens plebejus Parla-
menti Ordo, urgebat Catholicos omnes
Angliâ eliminari, cui furori, cum aliquo-
rum vitâ, ac præsertim Sacerdotum ex Or-
dine S. Benedicti & Societate Jesu litatum
esset, non obstante, quod Rex & Regina
eorum innocentiam contestarentur, pax,
zelosissimorum virorum sanguine inno-
center fuso, restituta est, & criminator,
tanquam re suâ bellè gestâ, conquievit;
tam quidem auro & honore pro perjuriis
remuneratus, paulò post autem ad infam-
es carceres, & virgarum iteratum sup-
plicium

plicium condemnatus, ac quovis evoluto trimestri publicè per urbem cæsus, juxta & meritâ pensione.

Princeps Guilielmus Fürstenbergius die 5. Maji à Clementissimo Cæsare libertate donatur: Observavit Leopoldus illud Marci Tullii Ciceronis epist: ad Quint. frat. lib. 1. *Exorabilem Principem esse præstat, quàm implacabilem, etiam in maximis injuriis sibi illatis.*

Nascitur ex Augustissimâ Imperatrice Archi-Dux, quæ vix Baptismo abluta moritur.

Cæsar 23. Augusti ob metum grassantis pestis Pragam discedit. Pestis autem depascens Viennam intra breve temporis spacium centum hominum millia absumpsit, rediit Viennam extinctâ lue anno 1681. die 11. Aprilis.

✱(1680.)✱ Augustissimus Cæsar cum Imperatrice & Archi-Duce Josepho peregrinatur ad Divam Sacro-Montanam in Bohemia, & pro avertenda lue epidemica pretiosa anathemata Sospitatrici offertur die 3. Aprilis,

In Hungaria armistitium inter Cæsarem & malè contentos rumpitur, & magnæ regni devastationes inferuntur.

Serenissimus Emmanuel Maximilianus
Bava-

Bavariæ Dux initium facit sui regiminis, & Augustissimæ Domui Austriacæ favere incipit.

Turcæ pro bello Christianitati inferendo, summâ industriâ se parant.

Nubit Mariæ, Annæ, Christinæ Bavariæ Ludovicus Galliarum Delphinus pridie Nonas Martii, in Campaniæ confinibus à Rege & aulæ Primoribus eâ pompâ exceptæ, & Parisios deductæ, quæ tantas nuptias deceret.

Comes Æneas Caprara contra rebelles Hungaros vario armorum eventu pugnat, Huic dum aliquando deesset, quo stipendia militibus numeraret, & insolenti perviciâ præ cæteris cohors integra rebellasset, his nil territus propriâ ipse manu seditionis antesignanum obtruncat, & jubet ante oculos suos decimum quemque cohortis militari supplicio enecari, quo militaris auctoritatis experimento tumultuantes reliquos compescuit.

Ludovicus XIV. otio pacis prudenter utitur, & regni sui magnam partem circumcundo lustrat.

Die 13. Decembris Lincii nascitur Serenissima Archi-Dux Maria Elisabetha.

U 4

DE-



DECAS IX.

✽ (Ab anno Christi 1680. ad 1690.) ✽

1681. **R**EX Ludovicus Casale sibi à Mat-
 ✽ tuano Duce permissum & Argenti-
 toratum minis ad suas partes pertractum
 occupat uno eodemque die 30. Septem-
 bris.

Occupatur quoque à Rege Ludovico
 Comitatus Chiniensis & prætenditur titu-
 lo dependentiæ Luxemburgum.

In Hungaria Sopronii generalia Comi-
 tia celebrantur, & in iis Augustissima Im-
 peratrix Eleonora Magdalena in Regiam
 Hungariæ antiquo & Catholico ritu coro-
 natur, & simul excellentissimus Dominus
 Comes Paulus Esterhasi in regni Palatinum
 eligitur; liberum quoque exercituum
 A catholicis ad certa duntaxat & determi-
 nata loca restringitur.

Innocentius XI. Pontifex insolitæ mo-
 derationis exemplo sedecim Cardinales
 simul Kalendis Septembris creat.

Funestus ac prodigiosus cometa com-
 ta in festo S. Stephani Proto-Martyris.

✽ (1682.) ✽ Die 6. Februarii Legatio
 solen-

solennis oratore Caprarâ ad pacem stabi-
liendam cum Porta à Cæsare Constanti-
nopolim mittitur.

In Hungaria A catholici Tökeliî asseclæ
in Sacerdotes Catholicos sæviunt, & Pa-
tres Societatis Jesu Eperiesino & Cassoviâ,
aliisq; in locis in exilium ejiciunt, & supe-
rior Hungaria, prævalentibus heterodo-
xis tota ferè à Regis sui fidelitate deficit.
Cæsar autem ad avertendum bellum ad-
versus Christianitatem, tam Turcis, quam
malè contentis in Hungaria favorabiles
conditiones offert, quas ii acceptare re-
cusant: quod sanè providentiâ Dei singu-
lari factum fuisse, eventus docuit, ex tot
malis tantorum bonorum proventum Cæ-
sari & Ecclesiæ suæ elicentis.

Cassovia à rebellibus, auxilio Budensis
Vezirii ad deditionem coacta, occasio fuit
optatissima Turcis, multa millia Christia-
norum in captivitatem abducendi; nam
rebellibus vicissim auxiliantibus Turca Fi-
leckinum præstantissimum munimentum
expugnavit, defendente & propugnante
usque ad extrema fortissimo heroë Ste-
phano Kohary, ob quod etiam ab hostibus
captus tyrannicè prorsus ab eisdem habi-
tus, & longissimo tempore in carceribus
detentus & emaciatus fuit.

Nascitur Laxenburgi Leopoldus, Josephus, Philippus, Wilhelmus, Franciscus, Antonius, Erasmus, Archi-Dux Austriae die 12. Junii.

Nascitur quoque 8. Idus Augusti Delphino Galliarum filius, cui cum titulo Burgundiae Ducis nomen quoque Ludovici datum, ut cum nomine quoque Ludovici patris & avi & atavi felicitatem aliquando hereditaret.

Rex Ludovicus XIV. insolentes direptiones Algeriensium immisit in classe, & urbis eorum, rapinarum congestarum nidi, per injectas ignivomas glandes fœdâ devastatione castigat, atque sic castigatos in pace iterum dimittit.

Ingentes procellæ & exundationes maris & fluminum ubique per Europam ruinas & damna inferunt, ab hominum memoria inauditâ eluvie aquarum.

Luxenburgum à Gallis obsidetur, sed mox ab iis iterum liberatur, protestantibus Gallis, Regem suum Ludovicum ab urbe obsidendâ supersedere, ut Cæsari pro ingruente bello Turcico tantò promptius auxilia submittere possit. O felicem Leopoldum, si hic Gallorum cantus vera vaticiniaatus esset!

Clerus Gallicanus celebrat solemnia
Comi-

Comitia propter *Regalia Jus* à Rege Ludovico prætenſum in omnes regni ſui Eccleſias. In his Comitiiſ varia dogmata eruperunt, quæ Pontifici Innocentio XI. ſummoperè diſplicuerunt, tanquam ad Pontificiſ auctoritatem infirmandam excogitata.

Töckelius Dux & Antefignanus rebellium in Hungaria nubit viduæ Ragotzkianæ, cuius divitiis auctior novam unionem cum Baſſa Budenſi ſtabilivit, & ſimul à Sultano Principiſ, imò Hungariæ Regiſ inſignia, chlamidem, frameam, & ſariffam, ſive clavam accepit, unde etiam in numiſmatis hunc titulum ſibi arrogavit: *Princeps Spartium regni Hungariæ Dominuſ.*

✠(1683.)✠ Auguſtiſſimuſ Leopolduſ cum Regibuſ Hiſpaniæ, Sveciæ, & Ordinibuſ Belgi, nec non cum Veneta Republica, item cum Lüneburgicis confœderatur. Die 21. Apriliſ jubet Auguſtiſſimuſ Sereniſſimuſ Lotharingiæ Ducem Caroluſ huiuſ nominis V. ſuiſ exercitibuſ cum ſummâ poteſtate præeſſe. Decimo tertio Junii Caroluſ Dux Lotharingiæ cum exercitu Cæſareo obſidet Vivarinuſ, ut ſic hoſteſ imminenteſ præveniret, fortiſſimuſ munimentuſ, cum quadraginta millibuſ vegeti adhuc roboriſ armatoruſ, ſibi ſubigendo. Spor

Rex Poloniæ Joannes Casimirus sua auxilia; neque destitit Summus Pastor Ecclesiæ Innocentius quâ Jubilæo indicto, quâ pecuniâ & milite suppeditato expeditionem adversus Christianitatis hostem ardentissimè promovere. Fœderatur quoque Cæsar die 14. Junii cum Electore Saxonix, ut jam nihil deesse videretur in necessario apparatu ad fortiter repellendum Turcarum impetum, si ille ingrueret, quàm promissorum & fœderum executio, dum opinione celerius erupit ex Portâ Ottomannica exercitus Barbarorum infensissimus, & priusquam Carolus obsidionem Vivariensem optato exitu finiret, prodito ab aliquibus Hungaris Arabonis fluvii transitu, latè cædibus & incendiis vastatis omnibus ad Viennam Austriæ obsidendam, torrentis instar cursu rapidissimo perrupit: Unde Carolus Lotharingiæ Dux ad solvendam obsidionem compulsus, ut Viennam Cæsari & Christianis servaret, immisâ illic ad urbis defensionem copiarum parte, ipse aliquantò longiùs cis Danubium Cremsium versus obsidioni & hosti invigilaturus, castra cum mo exercitu metatus est.

...eri tunc coepit Vienna die decem-
...ulii à ducentis millibus & amplius

plius (Tartaris alibi grassantibus) supremo Campi-Ductore Karâ Mustaphâ, & oppugnata est acerrimè usque ad diem 12. Septembris ejusdem anni per omnia genera offensionum, quèis solet in obsessas urbes sævire armatus furor.

Interea Imperator cum Imperatrice & Archi-Duce Josepho, & Augustissimâ familiâ celeri se fugâ Passavium proripuit, nihil curarum, consilii & industriæ omisurus ad afflictam urbem maturè eliberandam; neque Lotharingiæ Dux otiosa stativa tenuit in omnem occasionem hostium vires infringendi attentissimus. Sexto Augusti Töckelium ad Posonium magnâ clade attrivit, & die 24. Augusti apud Stammerdorff in Marckfeld prope Vienne Turcicas copias delevit, obtentis viginti quinque vexillis, & duobus paribus tympanorum.

Augustissimus verò ut jam suo exercitui fieret propinquior, & auxiliaribus exercitibus ad solvendam obsidionem approperebantibus Passavio Lintzium sese contulit, ubi ab Imperatrice felici partu Archiducis Mariæ, Annæ, Josephæ, Antoniaë, Reginaë exhilaratur.

Circa idem tempus obiit Parisiis 5. Nonas Julii Maria, Theresia Austriaca, Fran-

ciæ Regina & Regis Ludovici XIV. con-
jux, innocentissimæ vitæ & integerrimæ
pietatis.

Ludovicus autem, dum bello atrocissi-
mo arderet Hungaria & Austria, atq; ex par-
tibus variis Christiani Orbis ad extinguen-
dum incendium concurrerent suppetias
& opem laturi, juribus suis intentus, alibi
belli flammæ sparsurus in Belgium mittit
sub Mareschallo Hummerio exercitum
unum, ubi Cortracum & Dixmudam capit,
& alterum ad Luxemburgum expugnand-
um Duce Crequio, qui ingenti ignivo-
morum globorum procellâ urbem ob-
ruit, non alio tamen damno tunc, quam
ædium privatarum, & munimento his ig-
nibus non expugnato.

Protracta jam fuit ad duos menses Vien-
nensis obsidio tandem Rex Poloniæ Jo-
nes Casimirus, Serenissimi Electores Fer-
dinandus Emmanuel & Joannes Georgius
Saxonæ Viennæ, & rei Christianæ in sub-
sidium advenientes, in persona, cum Cæsa-
rianis sub Serenissimo Duce Lotharingiæ
se conjungunt, & die 11. Septembris cum
omni bellico apparatu montem Cetium
superant, ac die duodecimo Turcicum
exercitum ab obsidione Viennensi depel-
lunt, tanto Barbaris incusso terrore & con-
fusio

fusionæ, ut non jam milites certamen sed
stupida animalia lanienam sustinere viderentur. Cessere victoribus opipara hostilium castrorum impedimenta, omnis generis opibus, & munitionibus referta; tunc immortalis gloriæ fastis suum nomen inscripserunt Ernestus Rogerius Comes Starenbergius, in urbe obtesa præfectus, & præstantissimi Duces, qui adhortationibus & exemplis milites & cives tempore obsidionis ad perdurandum, & intrepidè resistendum animarunt. Hac strage Turcarum Constantinopolim delatâ, factus est ingens fremitus & confusio portæ Ottomannicæ, à Christianis ferè per Italiam, Poloniam, Hispaniam, Germaniam actæ Deo Conservatori & Domino exercituum solennissimæ gratiæ, & publica lætitiæ signa ubique edita festivis plausibus & triumphis resonantibus. Starenbergius à Leopoldo honoribus & divitiis & à Catholico Rege aurei velleris torque in fidei & fortitudinis commendationem donatus est. Turcarum autem Kara Mustapha brevi post cum aliquot Bassis infelicis belli mulctam luit, Sultani mandato laqueo suffocatus. Infensissimâ hac irruptione, computo post Viennam eliberatam inito, deprehensum est in servitutem Turcico Tartaricam

ricam

ricam ex Christianis abacta esse sex virorum millia occisis aliis innumeris, familiarum conjugatarum undecim millia ducentas & quindecim, puellarum innuptarum quatuordecim millia nonaginta duas. Puerorum quinquaginta sex millia & nonaginta tres: ex parte Viennensi oppida & pagi incinerati sunt quatuordecim millia sexaginta duo, ex parte Posoniensi ducenti septuaginta & unus. Quam ferox hoc flagellum Christianitatis, quo Ecclesia percussa est!

Solutâ obsidione Viennam Augustissimus Cæsar ingressus est die decimo quarto Septembris.

Die 10. Octobris Cæduntur Turcæ à Lotharingo ad Barkanum, amittunt quinque millia armatorum, viginti tormenta, & Barkanum incineratur, ibi quoque repertis 25. tormentis.

Die 28. Octob: egrediuntur Turcæ Strigonio, factâ deditione Cæsarei exercitus Ductori Carolo Lotharingæ Duci, reperta sunt intus 50. tormenta.

Die 11. Decembris eripitur Turcis Setschinium Hungariæ munimentum repertis intus 20. tormentis, recipiuntur & aliæ urbes circa hæc tempora quæ debitam Cæsari obedientiam reddiderunt.

Abdn.

Abducitur jussu Cæsaris Passavio Rot-
tenburgum Zrinus Comes, Petri Zrinii fi-
lius ob notorium delictum carceri addi-
cendus.

In Anglia duplex conjuratio de Rege
è medio tollendo auctore & capite con-
spirationis Comite Schafburiensi altera
vice detegitur, & jussu Regis complices
partim intercepti & multati, partim fugâ
supplicium declinaverunt.

(1684.) Treviri à Gallis violentè
occupantur die 15. Januarii & mœnibus
denudantur.

Tota inferior Hungaria Cæsari recon-
ciliatur, Vicegradum à Cæsareis & Pestuna
expugnatur.

Buda quoq; sed irritò eventum à nostris op-
pugnatur: melior fortuna nostris favit in
campis cæso ac fugato iteratis vicibus
hoste.

Schulzius & Bakoczius Generales re-
belles sæpius cædunt; in Dalmatia acri-
ter Turcas premunt Morlaci.

In Croatia capitur Verovitieza cum du-
centis pagis & castris; Veneti in Insula S.
Mauri egregios faciunt progressus contra
Turcas.

Poloni quoque extra limites suos pro-
figant Tartaros.

Töckelius ad Leuschoyiam ac iterum
ad

ad Eperiesinum utrinque magnâ strage afficitur ac fugit.

Innocentius XI. Principibus confederatis, quin & ipsis Cosaccis copiosum subsidium pecuniarium pro bello Turcico submittit.

Ludovicus XIV. Rex Galliarum 8. Idus Junii occupat Luxemburgum per mensem & amplius obsessum, premit quoque Hagonottas in regno suo inquilinos.

Misit quoque Ludovicus hoc anno classem suam in Italiam cum Marchione Segnelario: quæ cum videndam se urbi Genuensi 16. Kalend. Jun. exhibuisset, officii causa reipublicæ Legati adnavigarunt, quibus Segnelarius mentem Regis aperuit in exploratam, ut ob illatas nomini & genti Francicæ contumelias Parisios quatuor Senatores satisfactum ablegentur & Regi cederent quatuor triremes, quas de novo instructas, libertatisque nomine insignitas quasi ad ejus potentiam fastum ostentabant, quæ a nullo sibi periculo timeret. Datum est ad deliberandum quinque horarum spatium, cumque Genuenses arbitrentur his petitionibus libero suo dominio multum detractum iri, & eo usque submittere se Regi renuerent, Marchio ab incendiariis navibus in urbem æra igni-

yoma

voma jussit vibrari, quibus brevi ædes innumeræ arserunt, continuata diebus undecim hac infestatione, quâ pars major elegantissimæ civitatis attrita est, & numerati sunt decies & ter mille trecenti globi, qui ignem fatali ruinâ in ædes, palatia, templa & cænobia confuso & indiscriminato casu evomuere. Experti sunt Genuenses, quàm sit fatale Jovem irritare gestantem fulmina. Neque aliter Rex Ludovicus placari voluit quàm adventu Ducis cum quatuor Senatoribus Parisios, & modestâ excusatione coram Rege factâ. Et sic pristinæ pacis argumenta iterum apparuerunt.

Summus Pontifex dissidia inter Galliæ & Hispaniæ Reges componere summo opere laborat.

Vicennales induciæ inter Cæsarem & Regem Hispaniæ cum Ludovico Rege Galliarum Ratisbonæ compactantur.

Carolus Rex Angliæ munitus ad sui defensionem & securitatem copioso militem quem prætextu belli Belgici comparavit, ut eos compesceret qui Ducem Montmouthium, tametsi ortus non legitimi, cupiebant successionis privilegio gaudere, in publicis Comitibus tum Edimburgi tum Londini Jacobum fratrem Ducem Eboracensium unicum

unicum sibi successorem renunciari curavit, quia ipse legitimâ prole carebat, ne quicquam publicè tunc Anglis vel Scotis contra insultare præsumentibus.

✠(1685.)✠ Strigoniensis Archi-Episcopus & Hungariæ Primas Georgius Szephephanius moriens partem facultatum suarum (duos miliones Florenorum) Cæsar pro bello Turcico & partem ad pias causas in usum & commodum Strigoniensis Ecclesiæ testamento transcribit.

Carolus Hispaniarum Rex, Rudolphus Habsburgensium antesignani, exemplum ruri Sacerdotem offendens, qui pedes sacra Christi pignora ultimam ægrotanti rustico viaticum defererebat, eum reverentiæ ergò rhedam qua exscenderat subire iussit, & pedibus ipse ad rusticanum mappale procedentem comitatus est. Eiusdem hæreditariæ Austriacorum pietatis exemplum exhibuit anno 1. huius sæculi Josephus I. Rex Romanorum Viennæ qui ex venatione rediens, & obvium habens cum Sacro Viatico Myrtam equo cum Comitatu toto defiliit & Deo suo sub sacro panis velamine latenti devotum pedissequum se exhibuit usque ad domum plebei ægrotantis, & divino pabulo refectum liberali quoque auri porrecti munificentiam exhibi-

exhilaravit, eâ humilitatis & modestiæ specie, ut similem sæpe in plebeis capitibus desideremus.

Carolus Electori Palatino Rheni hæretico sine hærede defuncto in Electoratu & ditione succedit Serenissimus Dux Neoburgicus Catholicus.

Carolus II. Angliæ Rex Catholicam fidem privatim ante mortem suam professus ex hac vita decedit, cui statim in regno succedit Jacobus frater Dux Eboracensis, qui eodem die adhuc ab universis Regni Proceribus Regiæ dignitatis successor salutatus est, & publicè in initio sui regiminis Catholicum se esse declaravit: cui nihilominus omnes regni Ordines solito obedientiæ juramento se obstrinxerunt. Dux autem Jacobus Monmutius extincti Caroli filius Nothus, qui tunc inter Batavos versabatur, spe populû à Catholico Rege abalienandi, atq; ad se alliciendi captus, comparatis sibi fociis Argilio Comite, & Nobili Graio, rebellionem meditatus est, eosque in Scotiam cum armis & copiis aliquot præmisit, brevi secuturus, si ipsi prima moliminis hujus fundamenta jecissent. Exscensione factâ rebellionis antesignani, magnis promissis & sparsis libellis populû ad Monmutium vocabant. Postulavit Rex Jacobus
ut

ut

ut regni Comitia de his seditiosis decernerent, exoravitque ut læsæ majestatis reus ideoque capitis supplicio mulcandi denunciarentur, quod etiam brevi effectum est, tunc Argilius à Regiis copiis interceptus Edenburgi capite luit & Monmouthius pari sorte prælio ad Briduaterum in Anglia victus, captusque Londini VII. Kalend. Aug. Regis titulum (cujus personam jam agere cæperat) & caput simul amisit.

Rex Ludovicus XIV. honorificam legationem mittit ad Regem Siamensem in extremis Indiæ oris positum, à quo Legati perhumaniter excipiuntur & Christianis libera facultas conceditur sacra sua in regno publicè exercendi.

Augustissimus Imperator religiosos Societatis Jesu in Hungaria non tantum ad eas civitates ex quibus occasione rebellionis exturbati fuerant, benignissimè reponit, sed etiam in urbes de novo à Turcis recuperatas inducit.

Die 3. Martii Legatio Bavarica apud Augustissimum Cæsarem pro Serenissimo Electore Maximiliano Emmanuele deposita in sponsam serenissimam filiam Mariam Antoniam Archi-Ducem Austriæ, publicatur nuptialis contractus die 25. Aprilis & of-

& offertur sponsæ inter cætera donarium centum millium florenorum: Idibus Julii nuptiæ Viennæ celebrantur.

Lesleus Cæsareus Generalis cædit Turcas ad Essekinum pontem, & occisis eorum 800. civitatem expilat non tamen arcem. Die 13. Augusti & altero die pontem ex majori parte exurit.

Turcæ die 26. Augusti cæduntur ad Strigonium à Cæsareis, recessum simulantibus, & obsidio solvitur: Occubere quinque millia, capti sunt 200. tormenta accepta 24. cum vexillis 40. & omni comæatu & omnibus castris.

Vivarinum post obsidionem cœptam die 7. Julii armatâ manu die 19. Augusti à Cæsareis occupatur, assultum moderante excellentissimo Heroë Æneâ caprarâ, reperta sunt intus 98. tormenta.

Eperiesini à Generali Schultzio expugnatî cives exarmantur, reperta sunt 34. tormenta, & 2. mortaria.

Die 1. Octobris nascitur Serenissimus Archi-Dux Carolus. Cæsarei 2. Octobris obsident Cassoviam & die 25. Octobris occupant.

Cæsareis Cassoviam obsidentibus Tökelius Varadinum pervenit exoraturus à Præfecto Turcico suppetias, sed ibi malè
ex-

exceptus jussu Vezirii, & in vincula con-
jectus, viliq̄ue & rusticano plauastro im-
positus Adrianopolim tractus est.

In Morea Corona urbs & insignes ali-
quot portus à Venetis capiuntur.

Summus Pontifex Cæsarem Venetos,
Polonos, Hungaros, Croatos pecunia
pro bello Turcico adjuvat.

Luneburgici Cæsari militem suum ac-
commodant.

Hugonottarum secta | extinguitur in
Gallia.

Romæ Michaël Molinos Sacerdos Hi-
spanus, qui fictæ pietatis larva abusus,
multos seducebat, decreto Congregatio-
nis Sancti officii è domo ad carceres tra-
hitur.

DE HÆRESI QUIETISTARUM,
ET AUCTORE EJUS MICHAËLE
MOLINOS.

*M*olinos fuit natione Hispanus Aragonensis
Doctoris & Sacerdotis dignitate insignis,
virtutum quoque simulator maximus, ita ut
foris Angelo similis, & extases spirare videretur,
dectus tandem est Romæ, & in carceres
reclusus, postea publicè coram sacro Senatu au-
lâque Romanâ ac immensâ populi frequentia er-
rores suos recantavit: tantâ autem omnium ex-
ecratione ejus doctrinæ capita & obscenitates
audite

audita sunt, ut repetitis populi vocibus ad flammam posceretur; summa verò doctrina illius fuit:

1. Ut in elemento aëris, ita in animâ hominis duas regiones statuebat, quas Theologi duos appetitus vocant, rationalem scilicet & sensitivum, & rationalem quidem appetitum docebat semper esse occupandum in contemplatione Dei & amore Divino, ac in illo solo esse conquiescendum, unde & illius sectatores Quietistæ denominati sunt; sensitivo autem appetitui, docebat in omnibus obtemperandum esse, neque concupiscentias illius refrænandas esse, aut impediendas, sed permittendas potius explendasq; quippe naturæ innatas, nec magis culpæ obnoxias, quàm naturam ipsam, cujus illæ flores ac fructus sunt. Ex hac verò generali doctrinâ ad particulares alias propositiones non impias tantum, sed obscœnas etiam delapsus est, dicta audituq; indignissimas. Quas inter fuere etiam hæc

1. Solum affectivum & contemplativum amorem sufficere ad salutem, & in eo solo totam perfectionem hominis Christiani consistere.

2. Qui semel Deo voluntatem suam commisit, nihil amplius nec cœlum, nec infernum curare debet, nec perfectionem aut sanctitatem, virtutesq; imò nec salutem propriam optare.

3. Deum offendi, cum aliquis operari aliquid activè conatur, cum Deus velit solus in homine operari, oportere igitur, ut quis se totum Deo

X

defe-

deferat, & postea instar mortui & cadaveri se habeat.

4. Deum operari in nobis sine nobis.

5. Anima nihil agendo, & nihil operando ad Deum redit.

6. Via interna est illa, in qua nec lumen, nec amor, nec resignatio in Deum cognoscitur.

7. Imò oportet nequidem ipsum Deum cognoscere, & tuac res bene habet.

8. Anima nec de inferno cogitare aliquando debet.

9. Petere à Deo aliquid, est imperfectio, & non potest gratias agere.

10. Postquam Deo voluntatem tuam commiseris, non amplius curanda sunt tentationes, neque illis resistendum, nisi tantum negativè, nulli quæ adhibita diligentia, & si natura aliquid sentit, permittit ut sentiat, quia natura est.

11. Oportet, ut in oratione solam fidem obsecruram & universalem habeas, & stes coram Deo ad ipsum amandum, nullum tamen actum eliciendo, nihil quæ agendo, quia Deus huiusmodi meritis haud delectatur.

12. Cogitationes quantumvis impure & contra Deum Sanctosque, si voluntariè non fervent, nec etiam positivè repellantur, sed patienter tolerantur, non tantum non impediunt orationem, sed eam potius perfectiorem reddunt.

13. Tedium rerum spiritualium bonum est, quia eo purgatur amor proprius.

Prætermitto alias & spurcas, & sedas ejusdem propositiones, & mollitiei faventes, quibus nihil turpius scribi, aut legi potest sine horrore.

✱(1686.)✱ In Hungaria 22. Jan: armatâ manu à Cæsareis Turcis eripitur Szegedinum.

A Croatis, die 14. Martii eripitur eisdem Jarona profligatis prius in arce 1500. Turcis & mille captivis Christianis liberatis, novus Vezirius ob rem ad Strigonium malè gestam strangulatur.

A Transylvanis solennis legatio ad Cæsarem pro fœdere contra Turcas ineundo mittitur.

In Provinciis hæreditariis Cæsaris, auctoritate summi Pontificis tertia pars bonorum Ecclesiasticorum Regularium pro bello Turcico continuando applicatur, per Hispaniam autem, Italiam, Bavariam & Poloniam decimæ omnium proventuum Ecclesiasticorum ad eundem finem deputantur.

Veneti magnam partem Pelopponesi sive Moreæ Insulæ occupant. Et Navarinum expugnant.

Caprara incipit obsidere Monkatzium, in quo Töckelii uxor inclusa, neglectis consiliis & minis, quæ ad eam Cæsari reconciliandam injiciebantur, omnis generis validâ se defensione tutatur.

Die 19. Junii felicibus auspiciis Metro-
 polis Hungariæ Buda obsidetur à Ducibus
 Lotharingiæ & Baviariæ, ille cum Cæsareis
 urbem sibi expugnandi, & Baviariæ Duce
 cum suis & Imperialibus copiis arcem seu
 castrum subigendi provinciam suscepere
 protractâ jam aliquot hebdomades obse-
 dione, & barbaris bis terque retusis, quos
 Vezirius urbi suppetias laturos miserat,
 urbs tandem violentâ impressione tentata
 & capta est, unâ cum castro die 2. Sep-
 temb. deletis internecinâ clade præsidia-
 riis & civibus, quorum pauci vitam ab ira-
 tis victoribus exorârunt, toto Turcico
 exercitu inspectante, & cum Vezirio suo
 meticulosâ fugâ se subducente, quanquam
 armatorum sexaginta millia numeraret.
 Venit igitur in potestatem Augustissimi
 Leopoldi, postquam novies hæc Metro-
 polis oppugnata fuit, & à Turcis defen-
 sa, & servata.

Sub auspiciis Imp. Leopoldi apponitur
 primâ vice crux cum aquila ad turrim S.
 Stephani Viennæ in locum Lunæ Turcicæ.

Princeps Badensis Ludovicus obsidet
 quinque Ecclesias & paucorum dierum
 obsidione expugnat die 22. Octobris.

Cæduntur Turcæ à Veteranio Cæsareo
 Duce die 20. Octobris ad Szegedinum &
 amittunt tria millia armatorum, 18. tor-
 menta

menta quatuor millia equorum, quingen-
tos onustos camelos, quingentos mulos,
multa vexilla ac tympana, cum omnibus
aliis impedimentis:

Darda munimentum Turcicum ad Pon-
tes Esseckianos occupatur à Ludovico Ba-
densi Cæsareo Archistratego die 1. No-
vemb. repertis intus 14. tormentis, &
ponte Esseckiano fere medio incinerato.

Universitas Friburgensis non obstante
Gallorum protestatione hoc anno trans-
lata est Costantiã.

Eleonora Imperatrix Ferdinandi III.
Conjux Leopoldi I. noverca Viennæ diem
obijt sexto Decembris.

In Gallia Parisiis in areã victoriæ insigni
opere fabrefactum Regis Ludovici XIV.
simulacrum erigitur, & circa illud paris
operis columnæ 12. terno complexu in
quatuor angulos distributæ cum appensis
æreis numismatibus, in quibus præcipua
ejus gesta & victoriæ sculpta & scripta re-
feruntur, lychni huic magnifico operi qua-
tuor continuo igne circa Regis simulacrum
illucent. Expensas ministravit Franciscus
Albussionius Foliadeus, & Franciæ Par, uti
singulari Ludovici favore ad summas dig-
nitates evehctus, sic ejus gloriæ cupidissi-
mus.

X 3

Eodem

Eodem die, quo Buda à Christianis capta, Innocentius quasi divinâ inspiratione tantam victoriam edoctus, 27. Cardinalium creatione lætitiâ Orbis Christiani cumulavit.

Nascitur Delphino Galliarum tertius filius pridie Kalend. Septembris, ei que Carolus nomen & agnomen Ducis Biturigensium attribuitur.

Regiam aniam Ludovici exhilaravit Oratorum Siamensium adventus, qui diebus Septembris ad Regem introducti non solum Regis sui potentissimi amicitiam sed fœdera sponponderunt, sed etiam donis liberalibus Regem & Regiam familiam comonestaverunt.

✽(1687.)✽ Jacobus Angliarum Rex Legationem ad Summum Pontificem Romanum mittit, & Apostolicum Nuncium à Pontifice in Angliam missum perhonorifice suscipit.

Nascitur die 6. Martii Archi-Dux Austriae, Maria, Josepha, Coletta, Antonia ex Augustissima Imperatrice Eleonora. Septimo ejusdem ad munimentum Uzuvam cæduntur à Cæsareis quingenti palatubundi Turcæ.

Budæ 9. Aprilis plectitur capite nobilis Prussus Conradus Finck à Finckenstein,

quod proditionem, Budæ duobus mil-
libus aureorum nummum cum Turcis pa-
ctus fuerit.

Viennæ die 30. Julii ponit Leopoldus
Cæsar fundamentalem lapidem pro statua
Sanctissimæ Trinitatis, & supponit num-
mum aureum, in cujus uno latere integer
titulus suæ Majestatis, in altero hæc inscri-
ptio: **LEOPOLDUS I.** Impe-
rator, Hungariæ & Bohemiæ
Rex, &c. Sacrosanctæ **TRINI-**
TATI Votum exoluturus co-
lumnæ hujus primum lapidem
posuit 30. Julii Anno 1687. Be-
nedicta & laudata sit Sanctissima
Trinitas, Pater, & Filius, & Spi-
ritus Sanctus, Amen.

Observavit Augustissimus monitum S.
Leonis ad Imperatorem Theodosium:
*Tunc est optimus regni vestri status, quando
Sempiternæ & incommutabili Trinitati unius
DEI confessione servitur,*

Academia Naturæ Curiosorum Leopoldi-
dina sub manu & sigillo Cæsareæ Majesta-
tis à Sacro Romano Imperio protegenda
suscipitur.

Die 12. Augusti invaditur exercitus Cæsareus sub Ducibus Lotharingiæ & Bavariciæ propè montem Harfanum à Turco Vezirio (qui Christianos dum Dravum flumen, quem transierunt, repetunt, qualiter regressuri, languore & timore debiles cedere, & Mohazium se recipere velle, suspicatus est) sed orto pleno prælio cæditur hostis viginti millibus suorum desideratis, vel ferro enectis, vel aquis & paludibus haustis, & totis insuper castris exitur. Capti sunt bis mille, sexaginta octo tormenta, decem mortaria, decies mille centenarii pulveris pyrii, octo millia globorum majorum tormentorum, tria millia majorum sphaerarum missilium (bombas vocant) undecim millia sphaerarum manualium, septem millia boum, sex millia equorum, mille quingenti cameli. Post hanc victoriam Cæsaream Eszekinū, Valponam, Profegam, Mursam, Palottam, Orowizam, universamque Sclavoniam recuperant. Adhæc Dux Lotharingiæ fortalitia Transylvaniæ præsidii Suxæ Majestatis firmat, & Agria à Caraffa fame ad deditio- nem cogitur.

Æque secundo Marte Veneti Corinthum castrum Tornesium, Athenas, sive Malvasiam, Neocastrum, Patras, Neopatum,

sum, aliaque loca suæ potestati subjiunt.

Die 30. Octobris Augustissimus Cæsar cum filio suo serenissimo Archi-Duce Josepho solenni pompâ Posonium ingreditur, & die 9. Decembris Josephus Archi-Dux Austriæ ibidem in Regem Hungariæ hæreditarium coronatur.

Econtra Constantinopoli Turcarum Imperator Mahometes II. a suis deponitur, & in ordinem redigitur, fratre illius, qui hactenus privatam vitam duxit, in locum ejus substituto, unde Constantinopoli tumultus ingentes exoriuntur, & mutuæ cædes inter Turcas consequuntur.

Poloni & Moschi Tartaros ab excursio- nibus cohibent.

In Gallia Rex Ludovicus XIV. decreti sui contra Hugonottas facti executionem zelosè urget: sed & nova simul belli semina spargit, triplici petitione, quam fieri nomine suo Cæsari jussit, primò petiit armistitium vicennale converti in pacem perpetuam, secundò petiit variarum ditionum cessionem, quas cognatæ Aurelianensi debitas prætendebat: tertio dissipationem fœderis Augustani, quod Cæsar iniit anno superiore cum Ordinibus Imperii & Republica Batavorum tanquam sibi infensi & noxii fœderis. Cùm verò

X 5

Cæsar

Cæsar nulli ex his petitionibus eo sensu obaudiret, quo poscebatur, conceptæ inimicitiaæ novo belli fermento exasperantur.

XVI. Kalend. Decembris; Henricus Carolus Marchio Lavardinus Regis Ludovici ad Pontificem Orator stipatus ferè ducentis armatis absque promiscua Tibicinum, ephoborum, & familiarium, equorum, rhedarum, curruum & impedimentorum multitudine, more castrensi Romam ingreditur. Occasionem autem tanto apparatui præbebat constans, quam Innocentius tuebatur, voluntas, Oratorum asyla abolendi. Lavardinus igitur, posthabita excommunicationis sententiâ adversus omnes, qui dicta jura retinere quovis titulo præsumpsissent, cum alii Oratores jam cessissent Pontificis voluntati, ipse circa palatium suum stationes & vigilias instituit, qui militari more obambulantes, publicos apparitores, & vim, si qua pararetur, arcerent, & similia fecit, quibus Pontificium decretum contemnere videretur. Cum posthæc Orator se in Ecclesiam S. Ludovici 8. Kal. Januarii conferret, & sacris interesset, Pontifex, ne leges suas videretur negligere, publico edicto Ecclesiam, in quam Orator diverterat, devovit

vorit, & tanquam excommunicatum ha-
buit: hinc enata querelarum & apolo-
giarum seges, immoto in proposito suo,
Pontifice, donec Lavardinus, protractis
ferè biennio excubiis, à Rege tandem in
Galliam revocatus est.

III. Idus Augusti Uliſſipponem classe de-
ducta est Maria Sophia Neoburgica Petro
Lusitanæ Regi nupta, à quâ etiam anno
sequente 8. Kal. Octobris masculâ prole
exhilaratus, sed paucorum dierum perio-
do iterum summo luctu privatus est.

(1688.) Die 18. Januarii celebre
Hungariæ fortalitiun, Töckelii sedes,
Monkatschinum integro triennio eminüs
obsessum deditione Cæsaris potestati acce-
dit, & Emmerici Töckelii consors Hele-
na nata è Croatiæ Comitibus Zrini, arcis
propugnatrix captiva Viennam abducitur,
atque ita, qui alienis inhiabat, Töckelius,
propria amisit. Die 9. Februarii parum
abfuit, quin ipse quoque antesignanus re-
bellium Töckelius in manus Cæsareorum
veniret, quando in oppido Tellegel à Cæ-
sareo Belli-Duce Heuslero obrutus, cæsis
suorum sexcentis, & ducentis viginti duo-
bus captis, quos inter 18. officiales fue-
rant, amissis 15. vexillis, & 118. equis,
ipse fugâ sese proripuit.

X 6

Die

Die 23. Martii prope Eisserneckium cæsi Turcæ à Cæsareis occubuere sexcenti prætoriani, capti centum quinquaginta cum primario labaro & tympanis.

Die 19. Maji Alba Regalis deditionem paciscitur cum Cæsarianis, seque submittit, egressis inde ter mille incolis, re-pertis intus 7. grandioribus mortariis bellicis, & 79. tormentis.

19. Junii Lippa Hungariæ civitas à Cæsareo Belli-Duce Caraffeo capitur assultu. Reperta intus ingens vis pecorum, corii, & centum millia salis lapidum: arx arbitrio ejusdem Caraffei ducis dedita est 20. Junii Turcis bis mille & quinquaginta exarmatis, & sub custodia retentis; ter mille verò imbellioris ætatis & sexus in tutiora dimissis.

Die 8. Augusti Cæsareus exercitus Savum transit expeditione à centum annis & amplius non auditâ, & die 12. Augusti à Belli-Duce supremo Cæsarei exercitus Electore Baviariæ Maximiliano Emmanuele Belgradum obsidetur: Castanovizas autem à Marchione Ludovico Badensi die 15. Augusti occupatur.

Die 5. Septembris ab eodem serenissimo Ludovico Badensi cæduntur Turcæ in Bosnia, & amittunt quinque millia cæsa
in

in acie duo millia captivorum cum 4. vexillis.

Belgradum die 6. Septemb. ab Electore Emmanuele Bavarix Duce armata manu expugnatur, praesidiariis ferè omnibus interfectis. His malis attritus ferè & intestinis insuper seditionibus conturbatus Turca pacem postulat ab Augustissimo Imperatore, sed ea, quæ pacis sunt, nondum meruit à victore audire, qui ruptâ pace bellum intulit.

Dum Leopoldus in Hungaria victorias glorioso ferro metit, Turcis iteratò cæsis & attritis, Ludovicus XIV. Rex Galliarum in Badensem & Wittenbergensem ditionem & Palatinatum, ac superioris Rheni tractum exercitum emittit, & quâ vi, quâ arte multas civitates deditione accipit, Offenburgum, Neostadium, Spiram, Wormatiam, Treviros, Heidelbergam, Heilbronniam, aliaq; plura loca capta militibus Gallis adimplet: Moguntiam sine obsidione & sine sanguinis effusione ingressus, die 17 Octob. praesidiario milite firmat.

Philipsburgum acri omnis generis offensione, & protractâ obsidione à 6. Kal: Octobris usque ad Kalendas Novembris Delphinus deditione accepit. Manheimium, postea die 11. Novembris. Fran-

ckenthalium, die 17. Novembris idem
Delphinus vix ut vidit, & hostili explosio-
ne tormentorum ac bombarum uno alte-
roque die hostiliter salutavit, vicit & pos-
sedit; atque sic veluti torrente rapido ar-
morum Gallicorum illapsu magnus Rhena-
næ regionis tractus improvisè obrutus se
se in Regis Ludovici potestate esse circum-
spexit & admiratus est.

Denuò etiam hoc anno sæviit Ludovi-
cus in Algerienses, priusquam ferrum &
ignem immitteret in Germaniam, civita-
tem horum piratarum, cum, nihili habitis
conditionibus toties pactæ pacis, in novas
quotidiè offensiones Regis erumperent,
globis ignivomis grandioribus, quos clas-
sis Regia mille ducentos numero per ali-
quot dies vibrare non destitit, acerbò &
ardente supplicio multavit; Barbari au-
tem sic castigati vicissim horribili lanienâ
in Gallos sævierunt, quos vel captivos,
vel hospites habebant, quorum aliquos
vivos excoriârunt, alios tormentorum ac-
cenforum ori exposuerunt, alios alio
invento crudelitatis excarnificârunt.

Dum Poloni hoc anno in hybernis diu-
tius & segnius torpent, Tartari sub Duce
Nuradno irrumpentes, rapinis & incen-
diis omnia funestant, & decem millia Chri-
stianorum in servitutem rapiunt. In

In Anglia 13. Kalend. Julii nascitur Jacobo Regi ex uxore Maria, Eleonora Estensi (quam tredecim annis sterilem habuit) filius primogenitus, quem Caroli nomine, & Walliæ Principis titulo insignitum voluit: fuit hic partus felicissimus, invidiæ & malediciæ heterodoxorum amplissima calumniandi & mentiendi materies. *Et in ore omnium malevolorum inventum est mendacium, & mentita est iniquitas sibi.*

Tertio Nonas Junii obiit Maximilianus Henricus Elector, & Archi-Episcopus Coloniensis, & suâ morte litem inter Pontificem & Ludovicum novis dissidiis auxit, contravertentibus, pro electione in Archi-Episcopum Wilhelmo Fürstenbergio Comite & Cardinali, ac Clemente Bavarix Duce, quæ causa deputatis octonis Cardinalibus jussu Pontificis, semel iterumque cognita, & pro Bavarix Duce decisa est, ægrè admodum id.ferente Fürstenbergio, Ludovico Regi, & Gallicæ coronæ devotissimo Germano.

Ex ultimis partibus Indiæ à Siamensi Rege potentissimo ad Innocentium Pontificem X. Kalend. Januarii Oratores veniunt, & summo honore excipiuntur. Eò quòd Rex ille Catholicis in suo regno valde faveret, sed præcisa spes est anno sequen-

sequen-

sequente mortuo Rege, & Catholicis à
successore oppressis.

In Sinarum quoque Regno Catholica
fides magna capit incrementa VIII. Id
Januarii Pechini in Sinensi Imperio obiit
Ferdinandus Verbiest, Societatis JESU,
Regionum Mathematicorum antesignanus
& Princeps, cui ut præcipuo Imperii
Dynastæ solennes exequias celebrari ius-
sit Imperator Comitantibus funus Aulicis
& descripto regia manu defuncti elogio,
quod præconis voce lectum, feretro po-
stea grandi pompâ appensum est. Sic
Virtus & Scientiæ præsertim Mathematicæ
quarum Sinenses cupidissimæ sunt, cla-
ves sunt ad aperienda Barbarorum regna
& Principum Ethnicorum corda refe-
randa, & fidem Christianam introduce-
dam.

Princeps Auriacus Wilhelmus IV. Idus
Novemb. classem Angliam versus solvit,
tutandæ, ut ipse asserbat, religionis &
Anglicæ libertatis causâ, quas à Rege Ja-
cobo opprimi querebatur, Rex autem Ja-
cobus ob rebellionem & proditionem suo-
rum subditorum cum Regina & filio Wal-
liæ Principe in Gallias per periculosa ter-
râ marique itinera fugam capescit. Et
Princeps Auriacus Guilhelmus, ejusque
com

conjux Maria Jacobi II. Regis Angliæ filia in Angliæ Reges proclamantur.

✽ (1689.) ✽ Rex Jacobus nonis Januarii appulsus in Gallia à Ludovico Rege omni humanitate excipitur, qui regium S. Germani prope Parisios Palatium cum regio Prætorianorum & officialium apparatu inhabitat omnibus ærarii Regis expensis quamdiu in Gallia fuerit usus.

Legatus Turcicus nomine novi Turcarum Imperatoris pacem sollicitat: sed audito bello, quod Rex Ludovicus grandi victoriarum præludio adversus Cæsarem inchoavit, a propositis conditionibus paulatim resiliens valdè frigidè de pace tractant, & causas præbent spem pacis penitus præscindendi.

Sigethum die 12. Februarii fame ad deditionem coactum Cæsari se submittit.

Die 22. Februarii Heidelbergæ Imperialis civitas à Gallis accenditur, suppositis ignibus per totam urbem, à civibus tamen incendium sopitur & major pars urbis servatur, post urbem accensam Gallicis copiis emigrantibus.

Die 26. nascitur Serenissima Archi-Dux Austriæ, Maria, Magdalena, Josepha, Antonia, Gabriela; Econtra die 14. Aprilis moritur Maria, Anna, Josepha Augustissimi

stissimi Cæsaris Soror & Serenissimi Joannis Guillelmi Comitis Palatino Neoburgici consors.

Die 22. Maji nascitur ex Serenissima Archi-Duce Austriæ Maria Antonia Augustissimi Cæsaris Leopoldi filia Bavariz Electoris conjugis primogenitus, ingenti utriusque domus solatio.

Comes Joannes Draskovizius insignem victoriam de Turcis reportat cæsis in acie quingentis, bis mille in Unna fluvio suffocatis, & captis trecentis cum ipso ductore & 70. officialibus, equis 400. & undecim vexillis obtentis.

Die 28. Julii Cæsar cum Serenissimo Archi-Duce Josepho Viennâ Augustam abit ad coronationem Regis Romanorum.

Neoburgi ad Danubium die 28. Augusti in Ecclesia PP. Societatis Jesu peraguntur copulationis ceremoniæ novæ Hispaniarum Reginæ præsentibus Augustissimis Cæsareis Majestatibus.

Die 29. Augusti cæduntur Turcæ à Marchione Ludovico Badensi ad Moravam & castris exuuntur, & Nicea nullo impediante occupatur, multis millibus per internecinam hostium cladem deletis, ad complementum autem hujus victoriæ die

30. Augusti, denuo cæsi Turcæ à Marchione Badensi amiserunt octo millia suorum cum centum & novemdecim tormentis bellicis, 3. mortariis & omnibus impedimentis & castris.

Die 11. Septembris Moguntia à Duce Lotharingiæ obsessa post acerimam trium mensium oppugnationem, tandem à Gallis deditur: exierunt ex urbe secundum deditiois pacta, Gallorum sex millia, totidem inter obsidionis labores per strenuam urbis defensionem amissis.

Die 24. Septembris cæduntur Turcæ ad Nissam à Ludovico Badensi & Croyo, decem Turcarum millibus occisis & triginta tormentis majoribus obtentis, eodemque die occupata est Nissa.

Die 10. Octobris Bonna expugnatur à Lotharingiæ Duce, postquam illam Brandenburgici jam pridem ignivomis globis malè infestassent & defædassent. Retenti sunt post deditioem à Cæsareis Ducibus ii, qui Principis ærarium tractaverant, & ab iis omnium Electoratus reddituum ratio à belli Principio postulata. |

Die 14. Octob. Cæduntur Turcæ ad Vidinum amissis suorum bis mille, & die 19. Octob. Vidino Cæsareis dedito excedunt numero 6555. & relinquunt intus 26. tormenta majora. Die

Die

Die 6. Novemb. Briseranum Albaniz Metropolis Cæsareo belliductore Piccolomineo se submittit obviam missis quinque bellatorum millibus, & die 8. Novemb. Arnautæ (sunt populi Albaniz) per Episcopum Briseracensem Piccolominio fidelitatem jurant.

10. Octobris Cæsarei occupant civitatem Stippo cæsis bis mille Turcis & centum curribus onustis, & aliquot majoris & minoris pecoris millibus in prædam obtentis cum vexillis & tympanis.

Jacobus Rex Angliz ex Gallia in Hyberniam descendit animo recuperandi regnum suum & Londondericam civitatem obsidet, sed illatis suppetiis spe suâ frustratus obsidionem solvit & traductis aliis insuper urbibus in partes rebellium novisq; auxiliis ex Anglia sub Schombergio Duce advenientibus contra Catholicos, Rex Jacobus cum suo exercitu ad tutiora se loca recipere compulsus est.

Interea Auriacus Wilhelmus & uxor ejus Maria filia Jacobi solenni apparatu Britanicâ coronâ insigniuntur.

Innocentius XI. summus Pontifex summo Orbis Christiani luctu pridie Idus Augusti Romæ obit ætatis anno 78. optimorum Catholicæ Ecclesiæ Pontificum nulli

se-

secundus, ceu morum pietate & innocentia, ceu constanti & invicto Ecclesiasticae disciplinae zelo. Cujus liberalitati pietati & meritis magna pars victoriarum attribuitur quibus suo tempore Christiani Principes Barbaros domuerunt.

In ejus locum successus est Petrus Otto bonus Cardinalis assumpto nomine Alexandri VIII.

Cum hoc anno Caesarei ad Gallis resistendum & Moguntiam aliaque loca recuperanda se accingerent, Ludovicus XIV. Rex suos maximam occupatarum urbium partem ad Rheni tractum deferere jubet, qui accenso longo regionis Rhenanae tractu ab Argentorato ultra Moguntiam facta miserrimae vastationis & exustionis monumenta ubique reliquerunt, Spirâ, Franckenthalio, Wormatiâ, Oppenheimio, Offenburgo, Manhemio, Heidelberga & multis aliis urbibus aut oppidis, quae muris clauderentur (post muros dirutos, munimenta everfa, & munitiones abductas) horrendo busto, nullo vel sacrorum vel profanorum discrimine, incineratis.

Romæ hoc anno vitam clausit Christina Alexandra Regina Sveciæ annorum 63. quæ rarissimo exemplo, ut securè Catholicam fidem profiteri posset, regno abdicato

cato

cato Romæ inter religiosissimæ pietatis exercitia consenuit, in hujus pietatis, ac generosæ abdicationis commendationem voluit eam Innocentius in D. Petri Vaticano sepeliri, sepulturâ nulli adhuc præterquam Pontificibus, & duabus tantum Virginibus, iisque Reginis Mathildi & Christianæ Sveciæ concessâ.

(1690.) Tertiâ Januarii infeliciter pro Christianis pugnatum est in Servia prope Katzanecum, ubi Ducibus Strassero, & Carolo Hanoverano post sex horarum atrox prælium adversus triginta millia Turcarum à permodicâ militiâ Christiana fortiter exantlatum, hosti quidem victoria, sed cum victima suorum quinque millium accessit.

Augustæ Vindelicorum coronatur Augustissima Imperatrix Eleonora, Magdalena, Theresia, die decimâ nonâ Januarii. Die autem vigesimâ quartâ ejusdem ibidem eligitur in Regem Romanorum Josephus I. Archi-Dux Austriæ, & 26. coronatur Rex Romanorum ab Electore Moguntino, & toto Electorali Collegio præfente. Die 4. Martii inter magnificos arcus triumphales à coronatione redux Neoaugustus Rex Romanorum Viennam ingreditur.

Die

Die 20. Martii Bosniæ Metropolis Ban-
gyaluka noctu a Cæsareis obruitur, ori-
turque miserrima cædes integro duarum
horarum spatio: victores redeunt optimis
spoliis ditati, & eum quatuor millibus
Christianorum Turcarum jugo ereptis.

Die 10. Aprilis Canisa Turcarum for-
tissimum præsidium deditioe à Cæsareis
accipitur, ferè annuâ obsidione ad extre-
mam usque famem adaectis incolis. Homi-
num quinque millia abire sunt permissa;
quorum innatam adversus Christianos
malevolentiam cieurandi, spes nulla ma-
nebat, non sine damno regionis, quia
excedentibus iis, qui ad arva colenda erant
apti, soli milites, qui ad arma, non ad ara-
tra tractanda erant idonei superfuerunt.
Reperta sunt intus 249. majora tormenta,
35. mortaria, & plurima supellex bellica.

Die 19. Aprilis moritur Welzii Austriæ
incomparabilis Heros Carolus V. Dux Lo-
tharingiæ, Turcarum terror, Cæsaris
affinis, anno ætatis suæ quinquagesimo;
concussus certè ad tanti viri casum Fortu-
næ Austriacæ globus intremuit, ipsâ tan-
tùm non emotâ fortunâ.

Mortuo Michaële Abaffi, Transylvaniae
Principe, & hoste infensissimo Cæsaris ad
mortem usque, Emmericus Töckelius fre-
tus

tus

tus Turcarum & rebellium copiis, omnibus viribus pro indipiscendo Principatu laborat, sed volente Augustissimo Imperatore, filius Abassi annorum tredecim successor inauguratur.

Die 13, Maji fulmen illabitur Laxenburgi in Cæsareum cœnaculum, terrore prostratis aliis, solo Cæsare imperterrito.

Victori Amedæo Duci Sabaudia ab Imperatore titulus Regiæ Celsitudinis confertur, & cum eo foedus initur contra Gallos.

Die 22. Julii nascitur Serenissima Archidux Maria, Margaretha, Magdalena, Gabriela, Josepha, Antonia.

Turcæ prævalentes resumptis viribus Nissam obsidione cingunt & deditione accipiunt, die 9. Septembris.

Cæditur & Capitur Cæsareus Generalis Heuslerus à Töckelio in Transylvania, Siculis à Cæsarea militia primùm fugâ dilapsis.

Cum Ludovicus Marchio Badensis cum exercitu in Transylvaniam abiit opem laturus contra Töckelium, Turcæ Belgradum die 1. Octobris obsident & octavo ejusdem occupant armatâ manu, dum nux ignivoma decidens in turrim pulvere nitrato plenam, impressoque impetu & ruina

mili-

militēs terrens eos à defensionis cura avocabat, hinc vix navi furtivâ egressione aliquot salvati sunt, primarii scilicet Duces & milites trecenti, qui celeri fugâ Danubium aversum navigantes à communi laniena se se subtraxerunt. Turcæ posthæc suppetias tulerunt Varadino majori, jam à nostris aliquamdiu septo, & Esseckum quoque obsederunt, jamque militibus præfidiariis 1500. perterrefactis actum fuisset, nisi Croyus stratagemate feliciter usus esset, rumore nimirum sparso de adventante exercitu Cæsareo, noctu turbas & tympana secus Dravum audiri fecit, quâ fraude exterriti Barbari, qui numero 16000. urbem obsidebant, re infectâ, se se meticulosè subduxerunt.

Hoc anno Neo-Pontifex Venetam Rempublicam magnâ liberalitate & benevolentia contra Turcas adjuvat, qui etiam Epidauro subactâ, usque ad Adriaticum classem suam reduxerunt, & exscensione magno robore contra obnitentes Barbaros factâ, Alonem (sive Vallonam) obsederunt. Unde etiam Franciscus Mauroceus factus ex summo armorum Præfecto Reipublicæ Princeps, Pileum Ducalem & ensẽ à summo Pontifice benedictum, gloriosam laborum suorum mercedem retulit

Y

Hor.

Horribilis hoc anno sæviit in Februario tempestas maris ad littora Angliæ, incredibili omnium navium damno, non tantum quæ in mare tunc excurrerant, sed etiam quæ in portibus morabantur, præter illos, quæ pessum iere in patente mari: in portu Pleimutensi tantum novem, & triginta onerariæ collisæ & confractæ interierunt.


VII. Kalend: Aprilis emenso longo terrâ, marique, itinere, portum Brigantium in Gallecia appulit Maria Electoris Palatini filia destinata Carolo Hispaniarum Regi uxor, eò classe à Zelandiæ littoribus delata centum ferè navium, quas Batavi & partim Angli contulerant. Ei Valisoletum usque sponsus Carolus occurrit, atque eâ, quâ decuit, pompâ Madritum deduxit.

X. Kalend: Maji Versaliæ decessit è vivis Maria, Anna Christina, Victoria, Bavara, Ludovici Galliarum Delphini uxor, relietis tribus egregiæ indolis filiis, foemina Princeps non tantum ob proles, sed etiam ob præclaras multiplices dotes marito & focero Regi acceptissima.

Galli pridie Nonas Julii sub Ductore Luxemburgico cum Hispanis & Batavis confederatis configunt prope Floriacum & utrosque insigni clade prosternunt, præfer-

præsertim Batavos, quorum octo mil-
lia occubere: & Waldeckius Princeps
Dux confederatorum castris amissis Bru-
xellas se recipere coactus est, suorum quo-
que non mediocri strage profligatus. Si-
militer navali pugna Galli de Anglis simul
& Batavis victores extitere.

IV. Non: Septembris Viennæ obiit Wil-
helmus Neoburgensis Elector Palatinus,
ætatis anno 75. Princeps prudentiâ & for-
tunæ famâ celeberrimus, & numerosâ
prole felicissimus, quas omnes utriusque
sexûs altissimis conjugis & dignitatibus
adhuc superstes in vita stabilivit.



DECAS X.

✽ (Ab anno Christi 1690. ad 1700.) ✽

1691. Die 3. Januarii Alexander VIII.
✽ Deâ quâ solet solennitate, scilicet
in habitu Pontificio, & ore proprio, &
coram Cardinalibus Bullam publicavit, quâ
assertas à Clero Gallicano in Comitibus an-
no 1682. quatuor propositiones de aucto-
ritate ceu Pontificis, ceu Ecclesiæ Univer-
sæ & acta circa Regaliæ extensionem rescin-
dit.

Y. 2.

dit

dit, ac nullius valoris aut roboris fuisse, declaravit, & hoc pridie mortis suæ fecit, ut sic animam suam deobligaret, & tutorem Ecclesiasticorum jurium incorruptum se sisteret DEO Judici, cui animam præ reddidit 1. Februarii, anno ætatis 81. Sedem Divi Petri relinquens Ignatio Pignatelli Neapolitano, ac illius civitatis Archiepiscopo, qui nomen Innocentii XIII. assumpsit, & mox pauperum necessitatibus subvenire, quâ potuit, curâ laboravit, ac confœderatos Principes contra Turcas pecuniâ liberaliter adjuvit.

Rex Ludovicus XIV. Montes Hannoniæ insignem civitatem obsidet, stipatus exercitu 66. millium armatorum Idibus Martii, & ad deditonem adigit post strenuam tum oppugnationem, tum defensionem. VI. Idus Aprilis, præfente exercitu confœderatorum, qui agrè nimis ex hybernis ad auxilium ferendum adventabant.

Gallis quoque dedit se tunc Nicea in finibus Liguriæ obsessa, & incredibili Gallorum obsidentium ardore pressa, ad deditonem adaçta turris unius dejectione, in quam globus ignivomus illapsus, centum cados pulveris nitrati dissipavit. Sic arx subacta est, quæ olim integras
Tur-

Turcarum vires sub Solimanno fregerat.

Jacobus Regis Poloniæ Joannis Casimi-
ri filius connubio jungitur Elisabethæ
Neoburgensi, & sponsam suam solenni ap-
paratu per regium Oratorem deductam in
finibus Poloniæ excipit, atque Varsaviam
cum ea ingreditur ingenti comitatu & ple-
bis acclamatione.

VI. Kalend. Junii Oeniponti pari plau-
su suæ quoque neo-sponsæ occurrit Joan-
nes Wilhelmus, Elector Palatinus, An-
næ, Victoriæ, Mediceæ Etruriæ Princi-
pi secundis votis sibi desponsatæ, quam Jo-
annes Gasto ejusdem sponsæ Principis fra-
ter Florentiâ Tridentinum usq; cum auli-
corum comitatu deduxerat.

Galli pridie Nonas Junii ignivomarum
glandium tempestate per integrum tridu-
um detonant in Leodiensem urbem, &
pænè totam consumunt, sed re infectâ,
& tantum damno illato urbi, sine suo lu-
cro recesserunt. Eodem æstu & accen-
dendi ac incinerandi libidine in Catalaunia
sæviunt in Urgellam Barcinonem & Alo-
nem. Propter has clades Hispani in Cata-
lonia adversus Gallos insurrexerunt, qui
hactenùs inter eos hospitii jure inqui-
limi debebant,

Jacobus Rex Angliæ, expulsis iterum

V 3

Gallo-

Gallorum suppetiis, tentat Martis aleam in Hybernia, sed casu æquè sinistro, ut antè sæpiùs, Angli enim Auriaco merentes, brevi obsidione reliquas quoq; urbes quæ Jacobo adhuc fidem præstabant, subegerunt, & exercitum Hybernorum atq; Gallorum fuderunt.

Die 22. Aprilis moritur Maria Margaretha Archidux Austriae. Sic Mors cupressos, & Mars lauros plantando alternat in Augustissima Domo.

Die 14. Augusti Serenissimus Marchio Badensis Ludovicus post varias castrametationes, quibus in hostium conspectum captis aliquibus levioris momenti locis, pervenit, pugnam conferendi occasionem nactus est prope Salankameni ad Danubium, ubi hostis in Christianos irruens ab iis egregiè retusus & cæsus est, desiderato integro robore sui exercitûs, Vezirio & præcipuis copiarum Ducibus, & viginti quinque millibus Turcarum deletis in acie, totidem ferè in fuga redacti sunt in Cæsareorum potestatem, 159. tormenta, præcipuum Vezirii vexillum, omnia castra, & innumera armorum, commeatum, jumentorum multitudo cum omni pecunia publica solvendis stipendiis militariibus destinata, boum plusquam de-

ceca

cem millia nostris cesserunt, præter camelos & pecora minora. Ex nostris autem desiderati sunt in peditatu tantum 1758. in equitatu 829. non pauci tamen ex officialibus majoribus, quos inter Christianus Dux Holsatiæ, Comes Kaunitzius, Comes Colonicus, Comes Buquoi, Comes Potingius, Comes Starenbergius, Comes Adamus Zrinius, ultimus antiquissimæ familiæ, & de Hungaria, totaque Christianitate meritissimus. Videri potest hæc prodigiosa victoria, ut rectè dixeris, de Augustissimo Leopoldo, si arma deessent Leopoldo Imperatori, non tamen pietati ejus deessent prodigia.

In præcipuis Belgii Hispanici urbibus centum & amplius in carceres detrusi sunt pridie Idus Julii, qui conjurato facinore incendia in civitates moliti sunt, ut, civibus restinguendis flammis occupatis, hostibus aditus in urbes præberetur, ingentis sæculi hujus probro, quod præ omnibus præteritis sæculis proditionum frequentiam infame est, & pudorem omnem exuisse videtur.

Adrianopoli apoplexia in Julio mortuus elatus est Solimannus Turcarum Tyrannus ætatis 50. annorum, in cujus locum Achmetes frater ejus successit, qui ut

præsentis belli apparatus præsentia sui
promoveat mox Adrianopolim se deferat
& Bisantii interim variis suppliciis in secti-
tiosos à Vezirio desævire curavit.

Cæsarei Sabaudò fœderati sub Serenissi-
mo Bavarix Electore, die 8. Octobris
ad deditiorem cogunt Carmagniolam
Præsidariis Gallis (quorum tria millia va-
lidi adhuc roboris & mille vel læsi vel al-
ter infirmi & debiles numerabantur) exire
permittit. Quos tamen Germani insecuti
omnibus impedimentis in via expoliarunt
propterea autem querulanti Marchioni
de Plessis qui fortaliti Regius Commen-
dans & moderator erat, quod contra de-
ditionis pacta Germani egissent, reposuit
Serenissimus Elector, eadem mensura quæ
Galli anno superiore dum Carmagniolam
occuparent, usi fuissent erga exeuntes,
quos contra deditiorem pacta expoliarunt,
nunc vicissim ufos esse Germanos, & Gallis
excedentibus par pari retulisse.

Dum Poloni Principis sui Jacobi Nup-
tiis celebrandis abstrahuntur à bellicis cu-
ris cum Tartaris suis, Nuradinus irruens
longè lateque provincias devastat, & mul-
ta millia captivorum abducit priusquam
ultricia arma pararentur.

3. Non: Decembris renunciatus est à
Rege

Rege Catholico Hispaniæ Carolo perpetuus Governator Maximilianus Emmanuel Bavarix Elector, cum ea omni in rebus gerendis auctoritate, quâ dominus absolutus potest, & quidem cum hæreditariæ successionis suorum prærogativâ.

✽(1692.)✽ Galli obsident Rhinofelsam, Landgravii Hasso-Casselani munimentum & nono Februarii à Landgravio Cæsari fæderato obsidionem solvere compelluntur.

Emmerici Töckelii conjunx hætenus Viennæ sub custodia detenta, commutatione militari pro strenuissimo Belliduce Duce Donato Heuslero à Töckelio intercepto in libertatem 23. Januarii asseritur. Et primo die Maji reassumit obsidionem Varadinensem, positisque circa urbem castris acriter urget, ac quinto Junii ad deditonem compellit, Turcis abire permissis.

Turcæ porro clade tam grandi anno elapso acceptâ Sultanum ad pacem ineundam valde urgent & sollicitant, qui eandem etiam populo instantissimè petenti compromittit, nihilominus, retardante pacem Oratore Gallico iterum convolutum est ad arma: & quidem Cæsarea potentia hoc anno aucta fuit militiâ Lüneburgi-

burgicâ Serenissimi Ducis Hanoverianus
 Convenerunt ergo uterque exercitus pro
 Varadinum majus ab Heuslero jam occupa-
 patum, & Cæsarei quidem sub Campido-
 store Duce de Croy (Serenissimus enim
 MarchioBadensis Ludovicus exercitui im-
 periali contra Gallos in locum Serenissimi
 Ducis Bavarix, qui Belgii gubernator factus
 &us est, cum potestate præpositus erat)
 Ottomannicus autem exercitus sub novo
 Vezirio. Sed quia Turcæ cauti exem-
 plo suorum antecessorum, five aliorum
 Christianorum consilio, usq; ad finem au-
 tumni circa Belgradum in castris sese con-
 tinentes, & pugnam, cui Cæsarei inhiant,
 subterfugiunt, tandem uterque exercitus
 sine memorabili eventu in hyberna rediit.
 &us est: à nostris Brodâ & Gratiscâ aliis-
 que nonnullis locis obtentis. Serenissi-
 mus autem Dux Hanoverianus ob insignem
 auxilium contra Christianitatis commu-
 nem hostem præstitum ab Augustissimo
 Imperatore in numerum, Electorum coop-
 tatus est, variis licet Imperii Principibus
 tunc contradicentibus.

Ad Rheni tractum Mars alternante for-
 tunâ inter Gallos & Germanos incolas af-
 flixit & sæviit reciprocis direptionibus
 & velitationibus & cædibus.

In Belgio 1. die Maji Rex Ludovicus
obsidione cingit Namurcum exercitu suo,
qui numerâsse fertur centum millia arma-
torum, corpore (ut vocant) diviso, ita ut
20. millia Ducis Bufflerii & 60000. Du-
cis Luxenburgici gubernio committeret
ad auxilia undequaq; avertenda & impe-
dienda, ipse autem Ludovicus cum 20. mil-
libus, Namurcenses arctare cœpit & omni
genere acerbissimæ & ardentissimæ op-
pugnationis eo adegit, ut quinto Junii ci-
vitas, & decimo octavo ejusdem castrum ad-
deditionem coëgerit, milite præsiario,
more militari, mille & sexcentis armatis
tanquam strenuis & legitimè certantibus
propugnatoribus liberè exire permissis
cum 6. tormentis bellicis & duobus mor-
tariis. Posthæc Hispanis, Anglis, Bata-
wis, Brandenburgicis aliisque confœdera-
tis sub Wilhelmo Auriaco ac Rege An-
glia, in exercitum robustissimum coëun-
tibus, die 3. Augusti acre prælium sub
campiductore Bufflerio Gallos inter &
confœderatos Hallam inter & Lembecam
committitur, in quo cæsis ex parte con-
fœderatorum ter mille, septem millibus
autem ex parte Gallorum, magno etiam
utrinque majorum & minorum officialium
numero cadente, confœderatis tandem in-
gruen-

gruente nocte, & Bufflerio aliunde sup-
petiis & munitiōibus novis corroborato
absq̄ue tamen ulteriore damno, & potius
in æquilibrium pendente victoriâ, cedendum
fuit, & quidquid demum in hac pugna
campestri victoriæ Gallis accesserat, jan-
pridem in pugna navali à classe Anglo-Ba-
tavâ multipliciter & anticipato compen-
satum fuit, quando die 19. Maji classis An-
glica & Batava, longâ posterorum memo-
riâ dignissimam victoriâ reportavit, quin-
quaginta sex majoribus navigiis Gallorum
cum sex millibus armatorum & duobus
millibus nautarum ac remigum vel igne
combustis, vel aquâ submersis, aut tormen-
tis aut ferro enectis, aut captis cum ex
confœderatis Anglo-Batavis non fuerint
ultra octingentos viros desiderati.

Filia Augustissimi Cæsaris Leopoldi
Maria Antonia Electoris Bavarix conjun-
xit parit Principem masculum Josephum Fer-
dinandum, Leopoldum, Antonium, Fran-
ciscum Cajetanum, ejus tamen ortum bre-
vi subsequutus est matris occasus, nimirum
die 24. Decembris, quo Serenissimi hu-
jus Principis splendorem funesta mors
magno luctu obfuscavit.

✽(1693.)✽ Initio hujus anni die un-
decimo Januarii ingens calamitas Siciliæ

reg.

regnum obruit, quando terra tribus horis ante occasum solis ita concussa est, ut spatium medii quadrantis horæ undecim populosæ & venustæ urbes, quadraginta arces, & muris circumdata oppida supra centum, cum plusquam centum hominum millibus intra corruentium murorum ruderera sepultis conciderint, & pars magna voraginibus & hiatibus terræ penitus intumulata fuerit, urbes vel ex parte dirutæ, vel fulminibus erumpentibus extumultuante quoque æris elemento tactæ & incineratæ, miseræ & vastationis deforme & horribile theatrum exhibuerunt.

Triduo ante Insula Malta hujus diræ vastationis præludia experta est, damno quod ex terræ concussione huic insulæ tunc emerfit, æstimato supra ducenta millia aureorum, sed damno cum Siciliæ ruinis non comparabili.

Magnum incrementum capit Christiana religio in amplissimo & extremo mundi Imperio Sinensi, postquam superiore anno Potentissimus Sinarum Imperator publicè promulgato decreto propagandæ Christianæ religionis libertatem Patribus Societatis JESU post difficillimos & multiplices multorum annorum conatus, anno tandem nonagesimo secundo hujus sæculi

perspectâ virtute & scientiâ illorum missionariorum commotus clementissimè indulgit.

Sententiæ porrò quæ post actam & judicatam Christianorum causam in Imperii supremo tribunali rituum (ut vocant) lata est, & cui decretum suum Imperator subscripsit, ita se habet & in hunc sensum cum decreto promulgata est.

SUPREMUS TRIBUNALIS RITUUM
 PRÆSES Carpatax, & cæteri
 mecum Judices, obedituri Majestatis Tuæ mandato, super negotio proposito sententiam nostram proferimus: Nos omnes rem sedulò discutientes & examinantes, invenimus, quòd illi viri Europæi invitati famâ virtutum Majestatis Tuæ plura dena stadiorum millia, ac immensum propè mare emensi sunt, ut huc pervenirent; hi mathematicæ præfecturam nunc obeunt, & astronomiam dirigunt; tempore
 bel-

bellorum ad conficiendas machi-
nas gnaviter incubuerunt : missi
ad Moscos egregiam operam,
sinceramq; navârunt, efficientes
ut negotium de pace feliciter
concluderetur: Sanè illorum me-
rita plurima & admodùm magna
sunt, ipsi etiam Europæi Patres,
& alii eorum socii, qui in singu-
lis habitant provinciis, nihil om-
nino mali operantur, nullas ex-
citant perturbationes. Tartaro-
rum Sacerdotes, & Bontii Sinen-
ses sua habent fora, & permitti-
tur omnibus, ut illa adeant, &
ibi venerationem exhibeant, thu-
ra cremantes. Econtra verò re-
ligio Europæorum (quibus nihil
mali imputari potest) prohibita
est in hoc Imperio : quod qui-
dem videtur à ratione alienum.
Par igitur est, ut in omnibus
pro-

pro-

provinciis eorum templa, sicut antè factum est, conserventur, & omnibus secundùm antiquam consuetudinem permittatur, Christianam religionem profiteri, & templa adire, prohibitione omninò sublatâ. Hanc nostram sententiam subjicimus Majestatis Tuæ arbitrio, ac judicamus (si ita annuat) promulgandam esse. Kamhii anno 31. Lunæ, 2. die 3.

Huic Sententiæ (sicut moris est apud Sinas decreta Imperatoris expediri) ipse Imperator subscripsit, quorum sensus est *Assentior Consulto* subscripserunt etiam suâ nomina qui consultationi interfuerunt, & sequenti die quæ erat secundum nostrum Europæum Calendariũ 22. Martii Imperator sententiam ita exaratam & subscriptam transmisit ad supremum Colaorum Concilium in toto Imperio promulgandam, quod etiam factum Pekini die 5. Lunæ 2. secundum computum temporis apud Sineses usitatum anno Imperatoris Kamhii

31. anno ætatis ejusdem 39. à morte S. Xaverii ad portas Sinarum 140. à fundatione missionis Sinensis per Patres Societatis JESU 209. ab ejusdem missionis restauratione, post persecutionem scilicet Yamquamfieni 24.

Incredibile est quantus post factam promulgationem hujus decreti fructus animarum in horrea Christi invehatur, Mandarinis & Principibus ad Lavaerum Christi accurrentibus, & exemplo suo populū ad baptismum & fidem Christianam suscipiendam in vestigia sua trahentibus, incomparabili Ecclesiæ Christianæ incremento in vastissimo mundi Imperio, quod non solum magnitudine Europam quæ exculta est, provocat, & populorum ac incolarum numero etiam superat, sed etiam multa alia habet quibus certet cum Europæis, & in aliis vincat, quamquam in aliis etiam vincatur: & tametsi Imperator ipse certis rationibus retentus Christianum se nondum profiteatur, Christianam tamen religionem nec satis extollere, nec lætitiarum suarum in conversione populorum suorum ad Christum satis explicare potest, qui plures ex Societate Jesu secum retinet in aula & ex iis Mandarinorum quæ præcipua est dignitas in Imperio, honoribus

ribus

ribus & officiis exornat, quorum tum virtute tum Mathematicis scientiis mirificè delectatur, & missionarios ex Europæo Orbe advenientes benignissimè excipit, per Imperium suum ad propagandam fidem excurrendi atque habitandi ubivis locorum amplissimâ facultate impertitâ

Cæsariani hoc anno eripiunt Turcis Jenno & Vilagos, Var, Tartari autem in Valachia hybernantes, Transylvaniam invadunt, multaque animarum millia in servitutem trahunt, seriis cum copiis Veterano Generali succurrente, exercitu Cæsareo prope Varadinum ad hostium intentiones excubante, Turcæ declinantes pugnam ad Transylvaniam occupandam properant: nostri verò ad hostem ex itinere revocandum, quarto Augusti Belgradum obsident, & sic Vezirium, ut obsessis succurreret, retrahunt. Noster tamen exercitus ante Turcarum adventum cum omnibus impedimentis salvus & incolumis supra Savum transit, & ad pristina castra se recipit, atque ita sine notabili operatione tum nostrâ, tum hostium, in Hungaria hic annus elapsus est, nisi quòd minores velitationes & direptiones utrimque factæ. Memorabilior est

ope-

operatio illa, quâ Cæsareus Commendans Brodensis *Kiba* nomine die 3. Julii cum 500. militibus Cæsareis sex millia Turcarum Sclavoniæ præsidium Babinogradum obsidentium invasit, obsidionem solvit, & mille ac quingentos cum decem vexillis cepit, viginti tantum ex suis amissis.

20. die Septemb: Budianus regni Croatiae bannus Turcicum munimentum Bruntzeri Maidanum assultu cepit & expilavit, quingentis Turcarum caesis.

Die 15. Augusti pientissimus & invictissimus Imperator Leopoldus Viennæ in Basilica S. Stephani votum emittit de Ecclesiis parochialibus per Hungariam resuscitandis & reparandis: gratias simul agens, Deo Domino exercituum pro tot victoriis & totum Hungariæ regnum Beatissimæ Virginæ offerens & dedicans & hac super re sequens votum plenâ pietate & zelo Apostolico, utpote Rex Apostolicus publicè emittit & promulgat.

V O T U M

A B

AUGUSTISSIMO CÆSARE
publicè in templo S. Stephani

Viennæ factum die 15 Augusti

Anno 1693.

Om-

OMnipotens , Sempiternus
DEUS , per quem & Reges
regnant , & in cuius manu sunt
omnium potestates , & jura re-
gnorum : Ego Leopoldus , hu-
milis servus tuus , coram Divina
Majestate Tuâ prostratus , im-
mortales Tibi gratias ago , quòd
in virtute & magnitudine brachii
Tui Turcarum & Barbarorum
exercitus , immanes Nominis
Tui hostes ab Austriæ Metropo-
li, ejusque finibus abegeris, quod
Inclytum Hungariæ regnum o-
lim à S. STEPHANO Rege Ante-
cessore meo admirabili Matri
Tuæ donatum, postea verò Tur-
carum tyrannide ejus cultui ferè
totum ereptum mihi clementis-
sime restitueris; gratias, inquam,
reddo Tibi DEO immortali vi-
ctoriarum omnium largitori, &

restitutum mihi à potenti Tuâ
dexterâ regnum sanctissimæ &
admirabili Matri tuæ , cœli ter-
ræque Reginae , magnæ Hunga-
riæ Dominæ iterum dono, dico,
dedico , totumque ejus prote-
ctioni consigno , humillimè
rans , velit in illud tanquam ite-
ratò suum, misericordiæ oculos
convertere , & paganorum gen-
tes, quæ in feritate sua confisæ,
illud infestare non desinunt, po-
tenti suâ virtute conterere , ac
utrumque hoc bellum pace uni-
versali ac stabili & securâ ad ma-
ximam tuam gloriam terminare.
Insuper voveo, ac pro me & suc-
cessoribus meis Divinæ Maje-
stati Tuæ promitto, me ad pro-
pagandam Nominis Tui gloriam
& Matris Tuæ, Dominæ nostræ
honorem Parochiales Ecclesias
per

per

per Hungariæ regnum, tum Barbarorum tyrannide, tum temporum calamitate destructas, iterum erecturum, & competente Parochi sustentatione dotaturum, ut omnes à Clementiâ Tuâ meo Imperio subiecti populi Te verum Deum debito cultu adorent, & sanctissimam Matrem Tuam, magnam Dominam nostram venerari addiscant. Spondeo prætereà me ad perpetuam tanti beneficii memoriam sacellum S. Leopoldi in monte Cælio, unde primò singulare Tuæ protectionis auxilium in propulsandis hostibus apparuit, restauraturum, ac in eodem aram Divæ Virginis sub titulo *Auxilii Christianorum* dedicaturum.

Suscipe igitur, Clementissime DEUS, servi Tui demissè Te
ado:

adorantis vota, & me, Conjugem meam, liberos, domum meam, populos, exercitus meos, & regna omnia, ac provincias meas continuâ misericordiæ Tuæ protectione custodi, governa, tueri ac defende, Amen.

Pari devotione Augustissimus die 29. Augusti Viennæ interfuit dedicationi colossi Sanctissimæ Trinitatis pro aversa peste, quem ipse in gratiarum actionem & memoriam accepti à Deo beneficii collocavit, Cui hæc indita Epigraphæ.

Tibi Sanctissimæ & Individuæ
TRINITATI ego Leopoldus
 humilis servus Tuus gratias ago
 quas possum, maximas, pro a-
 versâ anno M.DC.LXXIX. per
 summam benignitatem Tuam ab
 hac urbe & Austriæ provincia di-
 rã pestis lue, atque in perpetu-
 am debitæ gratitudinis tesseram
 præsens monumentum demissè
 consecro. Susci-

Suscipe, Clementissime Deus, servi Tui demissè Te adorantis, vota, & me, conjugem, liberos, domumque meam, populos & exercitus meos, regna & provincias continuâ misericordiæ Tuæ protectione gubernata, custodi, defende.

Ita VoVI anno DoMINI salu-
VatorIs nostrI IESV ChrIsti.

Hoc anno in Imperio contra Gallos Mar-
chio Badensis Ludovicus jam bellis & vi-
ctoriis Hungaricis clarus, exercitui Im-
periali Cæsareo præfuit. Cum per Prin-
cipem Eugenium Sabaudum prius nomi-
ne Cæsaris aureum vellus accepisset: præ-
venit tamen Gallorum inexpectata contra
Heidelbergam Electoralem sedem irrup-
tio, & quamvis copiæ auxiliares in urbem
à Ludovico Marchione Badensi tum Hel-
bronnæ Franconici & Svecici circuli mili-
tiam lustrante immissæ essent, nihilominus
commendantis cui urbis & arcis tutandæ
cura incumberebat, vel pusillanimitate vel
incuriâ accidit, ut die 11. Maji inopinato
assultu urbem occuparent, & cives milites-
que

que obruerent, valde ferociter erga incolas nullo discrimine grassantes, arcemq; ipsam (quò se Commendans acceleratâ fugâ cum aliquot cohortibus præsidiariorum receperat, urbe probrosè neglectâ) præcòce deditione acciperent, exire tamen permisso præsidio cum aliis Belli Officialibus, quos puduit rei tam malè & infeliciter ex Commendantis conturbato imperio gestæ. Luit posthæc ignominiosâ pœnâ Commendans hanc tuam vel socordiam, vel incuriam, aut timorem, militaris iudicii sententia gladio simul & honore exutus coram toto exercitu Cæsareo Imperiali, & suomet ferro, quod contra Gallos stringere fortiter debuisset, caput suum tertiâ vice percussus, inermis, lictoris curru imponitur, & per medias legiones extra castra extractus, atque in perpetuum circulis Franconico, Svevico, Rhenensi Superiori & Austriæ proscriptus & exterminatus est, quem justitiæ militaris æquus rigor infami morti addixerat: eò usque autem amicorum preces, & præcipuorum quorundam patrocinantium auctoritas promeritam supplicii severitatem mitigaverat.

Heidelbergâ occupatâ à Gallis, & præsidario milite firmatâ, æstas tota castrametatio

Z

tatio

tationibus ultrò citròque euntium & red-
untium exercituum, direptionibus, & mi-
noribus velitationibus transacta est; Gal-
los Ludovico Franciæ Delphino, Germa-
nos Ludovico Marchione Badensi supre-
mo imperio bellum moderantibus, & Gal-
lo & Aquilâ vigili oculo sese observanti-
bus (victoriâ in æquilibrio tenente statu-
ram, & neutri parti sine pugnâ inclinanti)
animo enimolvebat uterq; *Quòd victoriâ
magno pretio empta, non victoriâ sit, sed calu-
mitas.*

Eâdem celeritate ad nocendum, & ven-
tis insuper secundis usa est classis Gallica,
quæ secundo Martii ante Neapolim ino-
pinato adventu visa, sed industriâ & celeri
operâ Regii Locum-tenentis ac nobilium
repressa, cessit quidem ad paucos dies, sed
fiduciâ proditiōis intestinæ rediit, donec
intus proditiōe detectâ, foris quoque
spe suâ Galli decepti, & ad confusionem
suam illusi vela vertentes disparuerunt.
Proditionis auctores & complices fuere
duo Hispani, iiq̄ue in sacris constituti,
tres nobiles, & duo naucleri, qui cum clas-
se Gallica jam duobus ante mensibus ita de-
scelere perpetrando convenerant, ut in
die sacerrimo Parasceves, si in honorem
Christi patientis præcipui militiæ Officia-

les, & tota urbs solenni processioni interes-
sent, ipsi accensis navibus portum invaden-
di & occupandi occasionem darent. Ita-
quidem in die universalis luctus, tota
Christianâ Ecclesiâ Salvatori suo piis votis
compatiente, sibi gaudium & risum Galli-
mente conceperant, quem, fraude & pro-
ditione obstetricante, parituri fuissent.

Fortius & gloriosius pugnatum est a-
perto Marte in Belgio Gallos inter & con-
fœderatos Hispanos, Anglos, Batavos,
Brandenburgicos, die primâ Augusti pro-
pe Ober- & Unterwindam Gallicum exer-
citum Luxenburgico Duce, & confœde-
ratos Wilhelmo Auriaco (Angliæ Rege)
& Serenissimo Bavaro moderantibus, quæ
utrimque tam ardens & victoriæ ac gloriæ
cupiditate tam æstuans pugna fuit, ut par-
ti utriusque pugnantium ingens gloria, ma-
ior tamen Gallis strages, quam confœde-
ratis acciderit: ex parte enim Gallorum
viginti millia (quos inter sexaginta Gene-
rales & illustrioris familiæ Duces, medio-
rum autem officialium ad tria millia nu-
merabantur) acie cecidisse, perhibentur:
Confœderatorum tantum ad septem usq;
vel octo millia desideratis.

(1694.) Augustissimus Cæsar Leo-
poldus, tanquam Rex Hungariæ Aposto-
licus

licus diploma edit in favorem Sacerdotum Græci ritus ad eosdem in unione fidei Catholicæ retineudos, & promulgari jubet, vi cuius vult & mandat, ut iidem omnibus privilegiis Ecclesiasticis gaudeant, quæ toti Clero Hungariæ Latini ritus jure & consuetudine conveniunt. Rem quoque Catholicam promovet in Transylvania, ubi à Principibus illius Provinciæ A Catholicis multa damna Ecclesiæ Orthodoxæ inflicta fuerunt, quæ benigno remedio & curâ indigebant.

Leodii grave dissidium ortum est inter competitores Episcopatus Leodiensis, hinc pro Cardinali Boullionio factionem Gallicam suâ auctoritate corroborante, & promovente Christianissimo Rege, inde duobus Serenissimis Germaniæ Principibus pro Insulâ zelantibus, scilicet Electore Coloniensi Clemente Bavarix Duce, & Ludovico Leopoldo Neoburgico Duce Magno Magistro Ordinis Teutonici quorum primus die 10. Aprilis, alter undecimo ejusdem in Episcopatum Leodiensem electus & promulgatus est: alterâ alteram eligentium factionem protestationibus, & annulationibus reciprocis feriente, & retundente, & Germanorum quidem Principum litem composuit justissimus

simus caufarum arbiter Deus, ex caufis in
 abyfso inſcrutabilium fuorum iudiciorum
 reconditis, Sereniſſimum Principem ac
 Ducem Neoburgicum acutâ feбри affli-
 ctum die quarto Maji ex hac vitâ evocan-
 do, nimirum Principem, Virum & Heroem
 fortiffimum ac pientiffimum, tum militi-
 bus Chriftianis, tum religioſis, tum Eccle-
 ſiaſticis vivam virtutum idæam: cujus cor-
 pus translatum Duffeldorpium, ibidem
 quâ meruit defuncti multiplex virtus &
 dignitas, funebri pompâ honorificentiffi-
 mē conditum eſt. Controverſia autem
 Boullonium inter & Sereniſſimum Cle-
 mentem, Coloniensem Archi-Epiſcopum
 ad ſupremam Sedem Pontificiam ventilan-
 da delata, præponderantibus tandem rati-
 onum momenti, ſecundum incorruptæ
 ſacræ Themidis trutinam, Clementi adju-
 dicata.

In Hungaria quoque hic annus inter ſo-
 los bellicos apparatus ex utraq; parte
 conſumptus eſt: & quidem Vezirius traje-
 ctio Savo noſtros in caſtris munitos aggre-
 di non dubitavit, tormentis non ſecus ac
 aliquam urbem munitiffimam oppugnân-
 do triduo ferè, & viciffim noſtri tor-
 menti & acie explicatâ hoſtis irruptio-
 nem expectantes eidem ſtrenuè inſiſtunt.

Z 3

Qua-

Quare Vezirius visâ Cæsariani exercitus constantiâ, repenti & quidem clanculari se recipit, sed neque nostri recedentes (hostilem astum metuentes) insequuntur, quin potius incolumem exercitum ad hyberna reducant die 15. Sept. Castra autem sua Petri-Varadino, ubi ambo exercitus hætenus consistebant, moverunt die 1. Octobris.

In Sabaudia die 4. Octobris Cæsaris cum Regiis Pignerolam obsidentibus, Dux de Catina Gallorum Campi-Ductor suppetias immissurus configit cum confederatis pugnam utrimque peracerbâ, ita ut Gallorum ferè octo, confederatorum ad sex millia occubuerint, hi insuper acie cedere coacti fuerint cum octo tantum tormentis, reliquis omnibus defectu equorum relictis.

Die 3. Octobris post longæ obsidionis violentas offensiones Carolo-Regium (Charleroy) deditio in manus Gallorum devenit à Duce Luxemburgico expugnatum. Confederati autem Anglo-Batavi ultrò citròque meantibus & remeantibus copiis, & opportunitatem arma armis conferendi eventu quærentes numerosum exercitum sine fructu fatigant, & demum lassum ad hyberna reducant.

Convictus Leutfoviensis 1694.

Seminarium Trenchinense, 1694.

*Monasteria reeditibus aucta, vel re-
staurata, vel edificata à
Georgio Szecheni.*

S. Dominici in Castro Ferreo.

S. Francisci Reformatorum, Simeg-
hini & Strigonii.

Capuccinorum, Budæ ædificatum.

RR. PP. Carmelitarum Discalceatorum.

S. Philippi Bennitii Servorum B. M. V.
Agriæ.

S. Francisci de Paula, Ovarini.

SS. Trinitatis, redemptionis captivo-
rum, Illaviæ.

Præter hæc militum in pugna adversus
Christianitatis hostem læsorum Xenodo-
chia erexit Pesthi & Pofonii. Sed nec im-
memor sui Regis pro bello contra Turcas
promovendo liberales largitiones eroga-
vit, adeo ut summa ad sanctas hæc
dispositiones se se extenderit ad vigesies
quinque centena millia. Meretur sanè
tam fidelis & prudens dispensator audi-
re à Domino: *Euge serve bone & fidelis in-
tra in gaudium Domini tui.*

In Hungaria fortalitium Gyula Cæsa-
reis deditur 4. Januarii, præsidium autem
Tur-

Turcicum eductum die 19. Januarii.

Novus Turcarum Imperator presentiam suam exercitum corroboraturus, Belgradum una cum uxore & matre (more hactenus apud Turcas inusitato) advenit; sed Augustissimus Imperator nequicquam territus, cum copiis selectissimis tam equestribus, quam pedestribus Serenissimum Electorem Saxoniam supremi campiductoris potestate impertitam & adjuncto expertissimo militiae Duce excellentissimo Generali Caprarum adversus Ottomannicum fastum & minas emittit. Qui castris prope Petrivaradinum probe firmatis ac munitis ad praelium strenue parati, avidè hostem (qui jam pontem navalem ad Savum transeundum construxerat) praestolantur. Verum Turcicus Imperator consultius ratus Caesarianos non adoriri, Danubium trajicit, Titulum (cujus praesidarii Turcas Belgradenses supra modum vexabant) expugnaturus: quo intellecto Duces nostri Tituli praesidium adaugent: igitur hunc locum quidem Imperator Turcicus hac vice pertransiit, sed postmodum copiis navibus aggressus expugnat, omnibus fere praesidiariis trucidatis: quem tamen locum ex metu aliquo vano non diu retinuit, sed nostris occupandum & fortius quam ante

firmandum reliquit, dum sponte excessit. Convertit posthæc Imperator Ottomanicus exercitum suum ad Lippam annonâ & omnis generis munitionibus instructissimam, & exercitu nostro, debito tardius, movente die 17. Septembris assultu fortissimo præoccupat, omnibus præsidiariis deletis, & planè opimâ prædâ potitus. Dum Cæsarei lentius quidem, sed tandem propinquius etiam Turcis insisterent, hi die 21. Septembris opportunitatem, nocti partem unam Cæsarei exercitus, à se invicem inter movendum longius nonnihil divisi, aggrediendi, cum triginta & amplius millibus, numero Cæsarianas copias (septem scilicet millia) quadruplo excedente invadunt, neq; isti pugnam detrederant si non numero, robore tamen, & animis se se sub Veterani expertissimo Duce æquiparantes: ternis vicibus ferocissimè irruentes Turcas generosissimè repellunt, & conflictum in longum tempus protrahunt, pendente diu ancipiti victoriâ: donec Turcæ majoribus copiis aucti prælium restaurârunt, in quo Dux expeditionis huius ipse tribus vulneribus saucius gloriosissimè occubuit, quo casu viso pars cætera militiae Christianæ Caransebesinam recedit, hostique relicto campo ad portam

tam

tam ferream se collocat, transitum in provinciam impeditura. Periêre hac in pugna Christianorum circiter quatuor millia, hostium verò supra duodecim millia. Turcæ porrò experti in tam exigua manu Cæsareani exercitûs tantum robur inesse, ultra totius corporis militaris vires experiri non ausi ad sua se se receperunt, nostris similiter ad grata & optata sibi hyberna redeuntibus.

Hoc anno die 22. Martii prima vice admittus est ab Augustissimo Patre Leopoldo ad iatinum conferentiarum consilium, & sessionem accepit Rex Romanorum JOSEPHUS.

*Hic simul Heroum laudes, & facta parentis
Jam legere, & quæ sit, poterit cognoscere
virtus. Virgil. in Ecloga 4.*

Romæ ex Camera Pontificia Jacobo Angliæ Regi expulso assignata annua Pensio quadraginta millium Dalerorum.

Veneti fortalitium Scio, & totam Insulam post generosissimam oppugnationem deditioe 8. Augusti accipiunt, repertis in arce tormentis centum & quinquaginta ex ære seu metallo, & aliis ex ferro fusis quinquaginta, cum aliis omnis generis munitionibus: Smirnam abire permissis decem millibus incolarum, præter militare præ-

fidium - numerantur autem in tota insula octoginta millia incolarum qui remanserunt.

Die 11. Julii Casale à Gallis redditur initis conditionibus. Reperta sunt intus 218. tormenta cum nonnullis mortariis.

Confederati Hispani, Angli, Batavi, circa 4. Julii sub auspiciis Regis Angliæ Wilhelmi & Electoris Bavarix Maximiliani Emmanuelis (tunc Belgii Gubernatoris) obsidione cingunt Namurcum, & fortissimis assaultibus, cum omni genere offensivis tandem die 21. Augusti Gallos Præstidarios ad deditiōem cogunt, toto Gallico exercitu numerosissimo (scilicet octoginta armatorum millibus) inspectante & deditiōem nequicquam impedire valente. Tempore autem obsidionis Dux Villeroyus Bruxellas Gallicis copiis cingit, & ignivomorum globorum horrificā tempestate immisā fædissimis incendiis urbem devastat, mille & quingentis ædificiis cum templis variis & curia incineratis; & immenso damno incolis illato: & majus adhuc inflixisset, nisi 3. die Augusti, ipso scilicet die, quo sub vespertinam horam septimam igneos globos ex ollis accensis adversus urbem evomere incepit, Serenissimus Elector Bavarix celerrimo

adventu suo urbi auxilio & consilio fuisset. Urbem porrò fœdare, occupare autem Villeroyus non potuit. Cujus lucrum tantummodo fuit intulisse damnum, aliis nocuisse & sibi non profuisse.

DE SECTARIIS CAVALLERIIS.

Roma cum Sacri officii Congregatio extinguenta heresi Quietistarum multas consultationes & inquisitiones impendisset, jamque radicatus extirpatum esse malum, arbitraretur, novus ramus propullulavit, secta scilicet eorum qui sese Cavallerios appellabant Antesignano quodam Abbate Veneto Augustino Gabiano dicto, qui discipulos suos S. Joannis, & se Magnum horum Cavalleriorum Magistrum, insuper & Monarcham sanctissimæ Trinitatis nominabat. Incedebant fanatici hi Cavallerii ornati gladio, sceptrum gestantes manu, seu virgam Imperatoriam, in cuius apice Crux & Stella eminebat: conventus suos agebant in domibus abstrusis, collectas instituebant ad eleemosynas liberales faciendas, præsertim puellis pauperibus, que nubiles erant. Moliebantur isti Cavallerii in urbibus majoribus sibi erigere justitiæ tribunalia, ut qui justitiæ vulnerata & oppresse vindices à Deo vocati & designati essent. Crucem ex candida tela Attalica assuebant thoracibus suis ante præcordia, eamque aureo filo circumdu-

cto inclusam; institutum suum conforme esse ja-
 Habant Ordine Equitum Melitensium, qui sua
 exordia fundarunt in eleemosynis faciendis, aut
 peregrinis hospitio excipiendis. Antichristum in
 civitate Lucca proxime nasciturum esse ajebant,
 jamque prodroma signa adventus ejus sibi calitus
 ostensa esse, ad quem in ipsis incunabilis extir-
 pandum his temporibus ultimis à Deo sese in-
 auguratos esse, fabulabantur. De his turbu-
 lentis & ratione turbatis capitibus Divini
 officii Congregatio nihil aliud statuit, quam ut
 in morotrophis veluti amentes curarentur. Ita-
 que capti sunt, & illorum octuaginta, qui ad
 sanam mentem saniore doctrinâ reduci nolue-
 runt, in morotrophia inclusi & stultorum
 more tractati, donec resipiscerent. Fanaticus
 quoque Monarcha sanctissimæ Trinitatis
 secundum suam stultitiam in communi stulto-
 rum domo ut stultorum Primas renunciatus
 est, cum publicum prius insanie suæ specimen
 præbisset in Templo S. Salvatoris: quando enim
 ab universo Choro Capitularium illius Ecclesie
 in divina psalmodia decantatus est versus ille
 psalmi 24. Attollite portas Principes ve-
 stras & introibit Rex gloriæ. Augustinus
 Abbas, nihil de stultitia simili cogitantibus
 aliis, sed omnibus ad viri hujus subitam phrenesim
 obstupescitis, stricto gladio, quem secum sub
 amictu gestabat, altâ quâ potuit, voce cantan-

do r-

do repetebat : Ego sum Rex gloriæ, ego sum Rex ille gloriæ, nolite timere. Inquisitum postea in ejus supellectile, & inventum est sigillum, quo patentes & testimoniales pro sectatoribus suis conscriptis expedire solebat. Et mirum sanè est, etiam ex præcipuis Ecclesiæ Prælatibus unum inventum esse, qui huic fanaticæ cohorti suum quoq; nomen dederit, & his deliriis adhaeserit.

(1696.) Augustissimus Leopoldus Saxoniarum Ducem & Electorem Fridericum Augustum Rudolphum, qui propter suum egregium in domum Austriacam affectum, decem millia suorum egregiè instructorum Cæsareo exercitui adjunxit, bello præficit hoc anno in Hungaria contra Turcas continuando, eidemque excellentissimum Dominum Generalem Æneam Capraram adjungit, qui quidem, optimè animato milite, adultâ jam ætate ternis vicibus Temeswarinum obsidione cingunt, fortiterque aggressi oppugnant, tamen ob imminentium Turcarum formidabilem potentiam à strenuè cœptis desistere coguntur, tandem igitur in aperto campo rem cum hoste decidere, & generosè configere unanimi consilio decernunt. Itaque die 20. Augusti fortissimè licet vallatum circumcingunt, & configendi necessitatem
indi-

indicunt, Qui nostrorum aggressionem fortiter excipit, & retundit, & incalcescente Marte acerrimè utrinque pugnatur, victoria nunc his, nunc illis favente: prælium tandem sequestra nox diremit, ex hac pugna desideratis Christianorum tribus millibus, & octo fere millibus Turcarum nocte igitur concubiâ Turcæ plenis castris Temesvarinum versùs recessere, Christiani autem versùs Szegetinum: inde utrimque in hyberna exercitus reduci sunt. Obicem majori victoriæ (uti à tam copioso & lecto milite sperabamus) obtinendæ objecerunt regimina aliquot Cæsarianorum equitum, qui in ipso actuali prælio prosequi, & alios subsequi & generosis præeuntium vestigiis insistere tergiversabantur, pugnare nolentes.

Turcæ in suo reditu Marockiam arcem à Rascinis militibus custoditam spatio unius tridui expugnant, & solo æquant.

Comes Adamus Battyani regni Croatiae Bannus hoc anno aliquot fortalitates erepta redigit in Cæsaris potestatem. Moschi Assacum fortissimum Tartarorum præsidium expugnant.

Moritur hoc anno die 16. Maji Maria Anna Hispaniarum Regina vidua, Augustissimi Cæsaris Leopoldi Soror Eberhardi.

28. Septemb. moritur Serenissima Archidux Maria Theresia.

Galli cum urbibus & arcibus expugnandis difficiliorem experirentur fortunam, satagunt omnibus modis animum Amadæi Sabaudix Regis vincere, & in partes suas pertrahere, qui etiam illectus promissis nuptiis filix suæ, cum Gallo Principe jungendæ, à fœdere Cæsareo recedit, & partiali cum Ludovico XIV. pace compositâ, universali paci in Imperio, totaque Christianitate viam sternit: Sic nimirum nuptiarum inter ipsos hostium Principes pactio & matrimonii nodus, est facillimus belli dissolvendi modus.

Galli die 6. Octobris Leodium ignibus infestant, & operâ perditâ recedunt, fitq; ipsa cupiditas habendi, dum non assequuntur, quod ambiunt, hostibus quoque non exiguum tormentum.

Innocentius XII. Pontifex admiranda liberalitate pergit continuare variorum Xenedochiorum erectionem, pro cujusq; conditionis pauperibus & egenis.

Serenissimus Christianus Augustus è Ducibus Saxonix fit Episcopus Jaurinensis in Hungaria.



DE SECTA PIETISTARUM.

AD ultima tempora hujus exeuntis sæculi exorta est hæc secta inter Lutheranos superioris & inferioris Saxonie, occasionem ad id præbentibus multis nominatis tum Theologis, tum politicis Confessionis Augustanæ viris, qui calamitosum statum suæ Ecclesie jam multò antehac lamentabiliter deplorarunt, & reformationem suspirarunt. Partialiter autem id sibi cordi sumpserat D. Philippus Jacobus Spener, qui variis concionibus & scriptis hanc rem diu urisit, donec tandem alii juniores & ferventiores similibus propositionibus & querelis commoti propius scopum tangere aggressi sint, hac opinione, ut si non plenam reformationem & correctionem cunctorum ipsis in Lutheranismò displicentium obtinerent, pro salute tamen animarum suarum pietati & probæ vitæ studerent, ac suis etiam contubernalibus similem vitam persuaderent, atque hac ratione se imminenti necessaria reformationi Ecclesie præpararent. Verùm contra hæc ab aliis concionatoribus & Professoribus Lutheranis Lipsiæ, Wittembergæ, Lubeci, Dantisci, Hamburgi, aliisque in locis scriptis acriter actum, & persecutio mota est, ita ut partes indies magis & magis ab invicem doctrinæ & moribus dissentirent, & istis novis zelatoribus nomen Pietistarum, publicè attributum sit, quod quidem tantum abest ab infamia, ut potius

potius de eo gratulati sibi sint, quod per illud ab aliis Babylonicis, & ventris Concionatoribus, ac carnalibus, & literariis Theologis (quemadmodum reliquos Lutheranos Doctores compellere consueverunt) discernantur. Hæc verò Pietistarum à cæteris lutheranis separatio maxime circa annum 1688. erupit. Scopus autem Pietistarum est primò: propria cujusque emendatio, prout scilicet, unus præ altero, magis probam vitam rationem sibi præscribere novit, deinde suæ vitæ vitiosæ, & omnium aliarum Ecclesiarum & Communitatum Christianarum reformatio. Media verò ad hoc adhibent. Primò lectionem frequentem & meditationem sacre scripturæ. 2. privatos conventus, in quibus interpretationem scripturarum, colloquiis & cantilenis condunt, se invicem hortantes ad voluntatem Dei indes magis & magis cognoscendum, & unitis orationibus insistentes ad auxilium desuper, pro optata reformatione impetrandum. Tertio communem tolerantiam omnium religionum & opinionum Christianum nomen præferentium, & universalem quandam charitatem, hæc spe freti, quod paulatim omnes veræ charitatis & unionis vinculo in unum colligabuntur. Cæterum in multis accedunt ad fidem Catholicam. Admittunt siquidem bona opera esse necessaria ad salutem, nec solam fidem sufficere. Item cum auxilio divina

divina

divina gratiæ, præcepta servari quidem, licet non impleri posse. Volunt quoque, ut sui penitus abnegent, & perfecti evadant, quæ de causa, etiam concilia Evangelica servare concedunt, & multi eorum Concionatores, contra communem Lutheranorum consuetudinem complures in annos cælibes vixerunt, idcirco amant etiam varios Catholicorum libros præsertim asceticos. Atque de his quàm optimè sperandum est, & plusquàm de omnibus sectarijs, quod nimirum tandem redituri sint ad Ecclesiam Romano-Catholicam, à quâ tam temere recesserunt eorum antecessores. Sicut enim mala, & scelerata vita sectariorum quorumcunque est maximum obstaculum, ad eorum conversionem ad fidem Catholicam, ita vita bona est proxima dispositio, ad eandem cognoscendam & amplectendam. Nam licet fides sit donum Dei, hoc tamen Deus confert ijs qui non ponunt eidem obstacula per malam vitam & obstinationem, ac pervicaciam & pertinaciam, in mala vita, vel erroribus fidei. Facienti autem quod ex se est, Deus non denegat gratiam, auget hanc spem & fiduciam Exemplum Cornelij centurionis, cujus vita ante ejusdem ad fidem Christianam conversionem Actor. 10. v. 11. & 2. Sic describitur: Vir quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius 1. Religiosus ac timens Deum, 2. Cum

2. Cum omni Domo suo, hoc est, curabat, ut omnis Domus, id est tota familia sua talis esset. 3. faciebat Eleemosynas multas plebi. 4. Deprecabatur Deum semper, id est, assidue orationi vacabat, ut DEUS se ad cognitionem veritatis ac salutis perduceret. Hæc erat dispositio ad veram fidem ex parte Cornelij, cui non distulit DEUS conferre fidei gratiam, misit enim Angelum suum ad Cornelium, qui eidem diceret. Orationes tuæ & Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, & nunc mitte viros, & accersi Petrum, id est Principem & Caput supremum Ecclesiæ, hic dicet tibi quid te oporteat facere.

DE SECTA NOVORUM CHILIA- STARUM.

DOGMA hoc recenter resuscitatum est, ab una parte Pietistarum (sunt siquidem jam in varios divisi inter se ramos) hi cum summis votis præstolantur Millesimum Annum Christi in terris, quo credunt ex Prophetijs cujusdam herulæ Rosimundæ ab Affenburg, & quorundam aliorum, omnem aliam Babylonicam Religionem abolendam. Atque ex his multi Anno 1693. & 1694. in Peninsulanam Armeniæ provinciam navigarunt hæc intentione, ut in nova edificanda civitate Philadelphia antiquam Apostolicam communitatem constituerent, juxta

juxta suum sensum seque humanis legibus peritus subtraherent, sub prætextu Regni mille annorum in plena conscientia libertate fruendis, verum præterquam, quod inanis sit hæc expectatio, ipsimet ignorant, undenam computari debeant hi mille anni Christi, & quando nam inchoabitur initium illorum. Veterum Chiliastarum, alia fuit de his opinio, nempe: ante Judicium mille annis Christum in mundum adventurum & sanctos resurrecturos ac per mille annos integros terrenis bonis eos fructuros, post hos autem mille annos, impios quoque resurrecturos & tunc judicium extremum fore. De his vel aliis similibus Chiliastis scribit S. Hieronymus Homil. 3. in Matth. Caput 19. Ex occasione hujus sententia (videlicet quam Christus dixit suis discipulis: Vos qui secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, quando & mortui de corruptione resurgent incorrupti, sedebitis & vos in solijs judicantium condemnantes duodecim tribus Israël, quia vobis credentibus illi credere noluerunt. Et omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit) Quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes; Tunc nobis

centis

centuplum omnium rerum quas dimisimus, & vitam eternam esse reddendam : non intelligentes, quod si in cæteris digna sit repromissio in uxoribus appareat turpitudine : ut qui unam pro Domino dimiserit centum recipiat in futuro. Sensus ergo iste est : qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet ; que comparatione & merito sui ita erunt, quasi si paruo numero centenarius numerus comparetur. Chriaste tamen moderni voluptates quidem Epicureorum corporeas rejiciunt, Annum nihilominus millenarium admittunt. Sed equè ac illi sine ullo fundamento.

(1697.) Serenissimus Elector Fredericus Augustus Saxonie Dux, cum hoc anno rursus contra Ottomannicos in Hungaria exercitum ducere cogitaret, & interea, dum tempus expeditionis adesset, Viennæ commoraretur, nactus opportunam occasionem suæ salutis consulendi, istidem Romano-Catholicam, ejuraris Lutheri erroribus, publicè amplectitur, & eodem die, scilicet decimo septimo Junii, quo se Catholicum Serenissimus Elector professus est, nuncium accepit de electione Regis Polonorum Varsaviæ legitimè peractâ, in qua (Cæsare favente, & suffragiorum copia in comitiis adstipulantibus) ele-

electus esset FRIDERICVS AVGV-
STVS SAXO, RE X POLONORVM.
Nuncium hoc magnâ omnium gratulatio-
ne, & non minori honore Neo-Electi Re-
gis, quam gaudio Imperatoris exceptum
est: *Tantum enim (scribit Hesiodus) damnum
est ex malo vicino, quantum ex bono commodum.
& premium nactus est, quisquis bonum vicinum
nactus est.* Obluctatus tamen est, quibus &
quantis viribus potuit auro & armis Dux
de Conti, cui Primas Poloniæ & pars mag-
na, quæ pro Gallia faciebat, diu tenaciter
adhæserunt, pro Friderico Saxone po-
tenter quoque causam urgente & promo-
vente per suos Legatos Magno Moscho-
viæ Duce.

Cæsarei Bihacium Croatiæ metropo-
lim obsident, sed ob plurima incommoda
obsidionem solvere coacti sunt die 6. Julii.
Turbata est deinde tumultibus superior &
inferior Hungaria: & in inferiore quidem
Ruscinorum non pauci, duce quodam Per-
lâ, extremæ audaciæ homine, sed abjectis-
simæ sortis, deprædationes circa Danu-
bii ripas, ingentes exercebant, pagos in-
cendebant, & adjacentia Quinque-Eccle-
siis loca infestabant, verum à Cæsarianis
non multò post circumventi, cæsi & diffi-

patij sunt, Ducibus eorum captis, Eszeckiniq; supremo supplicio affectis: quibus interemptis, hæc prædonum colluvies, ut membra capite destituta, illicò collapsa est, & evanuit. Majus periculum emerfit in Hungaria superiore, ubi jam a longo tempore occulte cusa, & clanculariis internunciis facta conspiratio, insperatò primâ Julii currentis erupit: more enim turbinis sui prædatores omnia pervagati mox Tokainum, Patakinum, & Szerenes arces ex insidiis occupârunt, omnibus locorum prædiariis cæsis, jamque adscitâ sibi rusticorum & plebis colluvie prædabantur, omniarum furiarum & malefanarum inconditarum plebis multitudini in ipsis exordiis Deus terminos posuit, & frænum singulari providentiâ suâ injecit. Contigit enim, cum ad Onodinum quoque occupandum agminatim procederent, ut in Cæsareas, Germanicas, & Hungaricas cohortes incidere: hos igitur utprimùm Cæsareus exercitus prædones & tumultuantes esse, agnovit, aggressus est, neque illi pugnam detrectârunt, sed pro virili restiterunt: tandem autem inclinante acie terga verterrunt, salutem fugâ quæsituri; itaq; amissis jam multis, & plusquam mille trucidatis, qua data porta pars Tokainum, pars Patakinum.

A a

kinum

kinum se recepit. Sed nec illic tutis esse licuit: Princeps enim Vaudemontius ad-
 vectis præproperè Agriâ tormentis, sine
 mora Tokainum obsidet, cùmque conster-
 nati rebelles defensionem simulando per
 tenebras noctu deserto præsidio clam om-
 nibus profugissent, & majori ex parte
 Patakinum se recepissent, Princeps fugi-
 entibus insistendum, ratus, Patakini quo-
 que obsessos noviter urget, rursus tamen
 ad consuetas sibi fraudes confugientes, pe-
 ditatui persuadent, speciosèque impo-
 nunt ii, qui equos habent, se in Cæsareos
 excursionem facturos, verùm cùm apertis
 portis equitatus totus viam exeundi na-
 ctus esset, non versùs castra, sed aliò iter
 deflexit, & quâ potuit, profugit, pedi-
 tatus autem (quem ferè totam plebs ru-
 stica conflaverat) videns, se adeò turpi-
 ter delusum, ad gratiam petendam con-
 fugit, sed hac, uti non merebatur, ita non
 impetratâ, gratiæ & disgratiæ Vaude-
 montii se submittere coactus est, quorum
 non pauci deinde pro varietate & gravi-
 tate scelerum variis ex justitiæ sententiâ
 pœnis affecti sunt. Per la rebellium an-
 tesignanus cum aliis adhuc viginti, auditâ
 mortis sententiâ, noctu alterâ manu ac pe-
 de vinculis ferreis, quâ potuit arte aut vi,

ex-

exemptis, conati sunt carceris parietes
perfringere, sed observati ab excubitori-
bus arctius custoditi sunt; cum verò manè
hora executionis immineret, ut ad locum
supplicii educerentur, omnes sublati lapi-
dibus, quos de nocte ex muro perforato in
carcere sparserant, adversus milites & li-
ctores ita pertinaciter obluctati sunt, ut
multos dirè vulnerarent, conjurâverant e-
nim omnes frustatim in carcere potius in-
ter resistendum mutilari & concidi velle,
quàm carnificis manu propudiosè occum-
bere: adeò quidem, ut necesse fuerit igni-
vomas pilas, sive granatas manuaras & pi-
cem accensam immittere in carcerem, qua-
rum & ictibus, & igne, & sulphure, & fumo
ad exeundum è carcere compellerentur, &
sic denique semiadusti, fœdati & faucii, vivi
tamen comprehensi sunt: Perla autem in-
super bombardæ globo ventrem trajectus,
& propendentibus intestinis ad locum sup-
plicii raptus, atque vivus adhuc brachia pe-
desq; contractus, & in rotam actus est, tres
uncis ferreis transfixi, reliqui inhastati &
partim in furca suspensi sunt.

Die 11. Septembris Turcæ ad Szentam
veloci adventu Cæsareorum confusi cæ-
duntur ab Eugenio Sabaudo, clade non fa-
cile auditâ, exuuntur enim omnibus ca-

stris & tormentis ; paucis Christianorum desideratis. Cesserunt Christianis in prædam 99. tormenta, tria quidem maxima, dicta organa, eò quòd quatuor in se tormenta concluderent, in morem fistularum organicarum : copia ingens omnis generis munitio, duo millia bubalorum, cameli, muli, equi, oves & boves innumeri : quinque millia vexillorum, inter quæ sexaginta novem majora, & Janitscharorum maximum cum septem caudis equinis, tentoriorum multa millia, quæ inter etiam summi Vezirii, cum ejusdem curru, equis, & decem concubinis, & omni pretiosâ suppellectile, atque ipso etiam sigillo, quale Sultanus summis Veziriis in signum potestatis supremæ in totum exercitum tradere consuevit. Constabat Turcicus exercitus octoginta armatorum millibus, ex quibus cæsi inventi sunt triginta millia gregariorum, præter officiales minores majoresque Bassas plurimos, & præter faucios haud dubiè magno numero : cum econtra Christianorum occubuerint tantùm quadringenti & quinquaginta octo, & officiales viginti quinque, vulnerati universim 1460.

Memorable est, quod Vezirius de strage suorum prognosticon habuisse ipsemet
asse.

asseveravit, eâ scilicet nocte, quæ pugnam præcesserat, visum sibi fuisse, videre supra tentorium suum viginti quatuor veste candidâ conspicuos viros, Cæsarea signa in aëre explicantes, qui, relictis Turcarum tentoriis supra Cæsarianorum castra volantibus vexillis sese contulerint, eademque obtexerint.

Die sexto Novembris Generalis Roboutinius civitatem Turcicam Vipalunkam assultu expugnat.

Eodem mense die 27. ad Rhenum Ebernburgum Marchioni Ludovico Badensi à Gallis deditur.

Viennæ Austriæ Augustissimus Leopoldus Societatem Jesu edicto publico vindicat à gravissimis calumniis, ritè observans illud ex lib. 6. Thucyd: *Violata religionis prætextu sæpe in viros bonos & reipublicæ utiles ac egregios (quoniam aliâ occasione everti non possunt) insidiæ & criminationes magnæ & falsæ struuntur ab inimicis, quæ proinde non sunt admittendæ.*

Jussu ejusdem Augustissimi Cæsaris 4. Julii Viennam adfertur imago Deiparæ Boëzensis (pagus is est in superiore Hungaria) quæ hoc & superiore anno iteratis vicibus à pluribus visa est fudisse lacrymas. Allata hæc in urbem singulari totius

urbis veneratione excepta & ab Augustissima Imperatrice pretiosissimis thesauris ex margaritis & gemmis ornata atque solenni supplicatione exposita est. Haud dubie imago ista, uti gravissima mala impendere prænunciavit, ita etiam ejusdem Virginis Consolatricis afflictorum, quam repræsentabat, piâ apud Deum intercessione ab Hungariæ regno & devotissimo hujus Matris cultore atque Cliente Leopoldo & Augustissima Austriaca Domo propitiato Numine misericorditer averfa esse hoc miraculo cadentium lacrymarum significavit: Et merebatur sanè publico triumpho adornari ejus imago, quæ invictissimo Leopoldo in tot insidiis, proditiombus & difficillimis præliis, & tot tantisque gloriosis cum inimicorum confusione & stupore reportatis victoriis fuit fortissimum & tutissimum propugnaculum, Cujus precibus apud Filium suum Arma Barbarorum facta sunt tela infantium, lancea, & galea, & jacula inutilia & inefficacia, ait Andreas Cretensis Orat: 2. de Deiparâ Virg. Dignissimus relatu est apparatus splendidus, quo die secundo Aprilis Romanum Pontificem (qui reparationem portûs Antii inspiciendi causâ iter illud susceperat) cum octo Cardinalibus, magno Prælatorum, Abbatum, virorumque illu-

illustrium numero, Princeps Burghesius in oppido suo Corviettano excepit. Novo, eoque insolito humanitatis genere portas & diversoria omnia venturis hospitibus occludi iusserat, soli sibi hospitalitatis tam magnificæ & sumptus, & gloriam servans. Hunc in finem per apertos campos tabernacula multa frondea pro famulis, equis, curribus, aliisque impedimentis, Pontifici verò mapale amplissimum erexerat, Romæ novæ sanctiorem Romulum agresti in curia salutaturus. Tugurium ligneum erat, panno cerato, arceudis pluviis accomodo, instratum, omnique exteriori cultu squallidum aded & horridum, ut casam diceres pastoritiam, quam suo cum dolio pauperrimus Diogenes haud invitus permutaret. At ubi ædificii structuram interiorem inspiceres, latebat sub tecto ignobili palatium splendore plusquam regio adornaturæ. Parietes peristromatis, telâ kolofericâ, Damascenâ, intextis ad naturæ invidiam Phrygiâ acu floribus speciosâ, picturis artificiosis, cælatis Phydico labore toreumatis vestiti, accedentibus speculis, candelabris, expositâque reliquâ aureâ, argenteâque supellectile miro fulgore intuentium oculos perstringebant. In contignatione in-

feriore octo pro Cardinalibus, proximæ his, pro Abbatibus, Prælatisque instructissima erant conclavia, quibus omnibus impendebat aula Pontificia, quæ tapetibus filo aureo argenteoque insertis gemmis, margaritisque coruscantibus, aliisque ad pompam, decoremque necessariis abunde decorata fulgebat. Sub meridiem in campum hunc Elysium Sanctissimus appulit, & ab obvio Burgheſio, aliisque Principibus, Comitibus, nobilibusque Romanis humanissime exceptus in mapale pastoritium, summo Ovili Christiani Præsidentis dignissimum, ductus est, ibidem ad itialium epulo recreandus. Signata extructa erant duo, utrumque in decempedarum quadraginta duarum longitudinem protensum: singulis impositæ stabant patinæ majores quinquaginta duæ, ingenti lancium minorum satellitio utrinque stipatæ, quæ omnes elevatæ in pyramides pulchra exhibebant, exhaustæ in epulum tam opiparum Italiæ, trophæa. Quamprimùm mensæ Sanctissimus accubuit, novo artis prodigio velocissimo raptu ex oculis evanescere suspensa ex parietibus peripetasmata, & subductâ nube hac sericâ, domum dicam, an cœlum? apparuit illustre totum, totum diaphanum: latera enim conclavis

foli.

solida è crystallo surgentia subitâ luce be-
 atissimum Præsulem circumfulserunt. Ex
 his suspensa, eoq; ordine disposita erant
 specula, ut convivas omnes Pontificis o-
 culis objicerent, Sanctitate interim suâ,
 nulli visâ: quo miraculo attonitus Papa
 summoperè delectabatur. Inserviêrunt
 convivio tam splendido ciborum diribi-
 tores decem, Pincernæ quinquaginta,
 coci quinquaginta, totidem vestispici: In
 utrâque mensâ præcipuâ, reliquisque au-
 licorum absumpta sunt dolia vini octogin-
 ta, boves Lusitani duodecim, agni quin-
 genti, agnelli quingenti, quadraginta vi-
 tuli materno lacte carnis tenellæ delicias
 adhuc saginantes, totidem vituli majores
 solidioribus pascuis innutriti quater mille
 pulli columbarum, totidem capones, bis
 mille aves (Italis Hortulani Bolonienses
 dictæ) bis mille coturnices, capreoli 50.
 apri 50. attagines centum, perdices cen-
 tum, casei, urbinates minores bis mille,
 majores Parmenses quinquaginta, vaccini
 equinique bis mille, recentes aut mustei
 bis mille, totidem à mense, quo coagu-
 lantur, dicti *Martii*. Botelli Bolonienses
 bis mille, Pernæ totidem, bis mille libræ
 Pemmatum, vasa quatuor siceræ, quatuor
 vini pyratii, libræ bis mille uvarum recen-
 tium

tium, totidem recentium pisorum, libræ mille tostorum fornace cerasorum, pondera quatuor, aut sarcinæ fœniculi recentis, sarcinæ decem cinararum, ter mille libræ Cocolatæ, bis mille capsulæ cydonite, quinquaginta cistæ bellariis, viginti majores saccharo plenæ: mille libræ casia, libræ centum cariophyllorum, libræ centum piperis, libræ centum capparum, bis millè cytria, sarcinæ quatuor pomorum aureorum, sarcinæ sex variarum herbarum & embammatum. Pro stabulo equorum quingentorum capaci instructi erant currus quadraginta onusti fœno, modia avenæ centum, de quibus ad libitum cuivis citra mensuram jumentis suis pabulum depromere licebat. Non stetit intra convivii lautitias magnificentia Burghesiani Principis, quin potius ulterius progressa, largissimis muneribus abeuntem Pontificem prosecuta, obtulit missus sex struices patinarias multiplices, quatuor citrino sacchario Florentiæ præparato, quatuor malis punicis citriisq̄ue, quatuor prunis passis, quatuor crysomelis, quatuor perdicibus, quatuor avibus hortorum Boloniensium inquilinis refertas: Insuper duodecim pavones vivos candidos, quatuor vivos capreolos,

qua-

quatuor lactentes vitulos unguis deauratis, capsas quatuor uvis Apianis vinearum Perusinarum, vasa quatuor vini de monte Palcino, & deniq; hyalothecam, seu crystallina, vitreaque in usum convivarum vasa, ter mille scutatis æstimata.

Rex Sveciæ Carolus XI. 5. Aprilis moritur, anno ætatis suæ 42. relicto Carolo filio minorenni successore: quo mediante pax quidem diu optata, & legationibus ultrò citròque meantibus studiosè ardentèrque inter Europæos Principes quæsitæ, sed hoc tandem anno post obitum mediatoris hujus elaborata est.

Die 14. Octobris pax inter Hispanos & Gallos.

Die 30. Octobris inter Sacram Cæsaream Majestatem LEOPOLDUM I. & Sacrum Romanum Imperium ex unâ, Regiamque Majestatem Christianissimum LUDOVICUM XIV. ex alterâ parte, in Palatio Riswicensi in Hollandia pacis instrumentum subscribitur. *Finis belli pax est: sed longi belli sæpe nimis brevis clausula pax est.*

paX InIta RIsvVICI VI-
DetVr breVe soLatIVM.



A a 6

Sep-

Septimo Decembris inter Ludovicum de Bourgogne & Mariam Adelheidam Regis Sabaudiaë duodennem filiam nuptiæ Parisiis celebrantur : quarum illicio nuptiarum Sabaudiaë Rex a Cæsareo fœdere priùs defecerat , & ideò Maria Adelheida à Gallis tanquam margarita & Ludovicus Bourgogne velut unio pretiosus , quibus pax comparari cœpit, celebrati sunt.

RAMI EX SECTA PIETISTARUM
HOC TEMPORE PULLU-
LANTES.

DE SECTA VISIONI-
STARUM.

Hic ramus sectæ Pietistarum est. Dicuntur Visionistæ , quia sibi persuadent Simaginantur , se quandoque spiritu , quandoq; etiam corpore abripi, & varias res doceri. Hi omnem authoritatem Ss. Patrum, imò & quatuor primorum conciliorum , uti etiam doctrinam suorum Pietistarum quando cum ipsorum opinionibus non concordat , condemnant , adeoque dumtaxat privatum suum spiritum & proprias suas opiniones pro regula fidei habent. Unde facile est colligere quantum tam ipsi Visionistæ inter se , quàm cum alijs Pietistis in rebus fidei consentiant.

DE SECTA RENATORUM.

HÆc est alter ramus Pietistarum, qui se renatos & Dei filios vocant & populum Dei, & regale sacerdotium esse existimant & motus primo primos cum stoicis comprimere satagunt, & in hoc sitam esse perfectionem hominis judicant. Cum tamen S. Paulus Apostolus de se ipso dicat ad Rom. 7. v. 15. 16. 17. 18. 19. Non quod volo bonum hoc ago. Sed quod odi malum illud facio. Hoc est: vellem bona multa, & magna facere alacriter, promptè, expeditè, sed invalescente concupiscentiâ sæpius non perficio: è contrario verò, quod odi malum facio: hoc est: quod mente odi, nempe motus primo primos concupiscentiæ, sæpius per naturam facio, vel potius patior. Si autem quod nolo illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Hoc est, si autem illud facio nolens, vel potius involuntariè patior, secundum naturam mente consentiente legi divinæ, non consentiendo pravis illis motibus. Sequitur quod non jam ego operor illud, scilicet voluntariè, sed peccatum, quod in me habitat, id est natura mea corrupta. Et tamen S. Paulus vir erat perfectus, & qui de se ipso ausus fuit scribere. 1. ad Corinth. 4. 5. v. 4. nihil mihi conscius sum. Licet jam exploratum haberet se facere; quod nolebat, hoc est habere in se motus primò primos purè naturales, qui penitè evitari nequeunt.

DE CONTEMPLATIVIS.

HI sunt tertius ramus sectæ Pietistarum. Hi more Pietistarum in spiritali quiete & contemplatione abrepti à publico cultu divino, concionibus, & sacramentorum usu abstinent. Tanquam similibus nonindigi privatâ tamen communionem utuntur, quam ipsis etiam famina distribuunt, auricularem quoque confessionem cum Calvinistis rejiciunt, e contra cum Catholicis purgatorium credunt.

Ejusdem Pietismi quartus ramus est eorum, qui super alios Pietistarum errores etiam hunc superdunt, quod primam Personam in Trinitate seu æternum Patrem aliquando incarnandum sperent sine ullo prorsus fundamento.

DE SECTA INSPIRATISTARUM.

Hujusmodi sunt complures A catholicis magis politis & moderatis. Hi nullas disceptationes fidei cum Catholicis ineunt, nec fidem Catholicam calumniantur ac vituperant, sed neque suam Religionem pertinaciter propugnant. Si autem interrogentur, & questionibus premanantur. : Cur non tandem fidem Catholicam amplectantur? Respondent : sibi necdum hanc inspirationem à Deo datam fuisse, sed ubi eam à Deo acceperint, se eidem minime reluctaturos, quin potius promptè obsecuturos. Verum quavis indubitatum sit fidem opus Dei esse.

Ut habetur Joan. 6. v. 29. Hoc opus Dei est,
ut credatis in eum quem misit ille, & v. 66.
nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei
datum à Patre meo. Illud tamen etiam cer-
tissimum est, quòd Deus exigat humanam coo-
perationem ad suam gratiam, ut ea reddatur
efficax, juxta illud Proverb. 16. v. 1. Homi-
nis est, animam præparare: & 1. Regum 7.
v. 3. Præparate corda vestra Domino: &
Zachar. 1. v. 3. Convertimini ad me, &
ego convertar ad vos, dicit Dominus. &
Ezech. 18. v. 31. facite vobis cor novum,
& spiritum novum, 1. & ad Corint. 3. v. 9.
Dei enim sumus Adjutores. & Apoc. 3. v.
20. Si quis aperuerit mihi januam intrabo
ad illum. Unde sapienter hoc totum negotium
concludit S. Augustinus Tom. 10. sermone 14.
de verbis Apost. sic inquit. Totum ex Deo
non tamen ut simus quasi dormientes, non
quasi ut non velimus, sine voluntate tua,
non erit in te justitia Dei: Qui fecit te
sine te, non te justificat sine te. Tales igitur
disponant se per Dei gratiam (quæ nulli ho-
minum denegatur, bene vivendo, peccata ca-
vendo Deum pro illuminatione & illustratione
ac pro fidei dono orando, & certi sint de obti-
nendo, sancto instinctu & inspiratio-
ne ad veram fidem ample-

Etendam.

✽(1698.)✽ Parisiis diverso tempore pax promulgata est, primò quidem pax cum Anglis & Patavis, tum cum Hispanis & demum solennissimè promulgatio pacis cum Augustissimo Imperatore Leopoldo & Imperio initæ, celebrata est die 7. Januarii & die octavò multiplices ignes festivi accensi Parisios illuminarunt post mane decantatum Hymnum Te Deum Laudamus, & magnas undique optatæ pacis gratulationes peractas. Cardinalis autem Fürstenbergius insuper seorsim pacis promulgatæ festum in Abbatia sua ad S. Germanum adornavit, cum in plurimum Cardinalium præsentia ipse solenniter ad aram litavit, ac splendidissimo convivio refecit, sub noctem deinde artificiosis ignibus accensis Regem & urbem mirifice exhilaravit. Struebatur autem pyria illa pompa inter duas turres in hunc finem in altum ædificatas, quas inter artefacti ignarii pyroboli multiplici scenâ theatrum igneum variabant, & symbolicis repræsentationibus illustrabant.

Primò repræsentabatur sol radiis tremulis effulgurans & civitati Argentinae subterjacenti irradians. Cum epigraphæ pariter distinctis characteribus ardente ex Psalmo 35. vers. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.*

2. Repræsentabatur Mars strategus
bellicosus & armatus manum alteram ad
calicem, thuribulum, & similia Ecclesiæ
insignia extendens, alterâ autem vexillum
explicans, in quo exprimebantur tormen-
ta militaria, globi tormentarii, vexilla, ha-
stæ, enses, & similia bellica arma cum epi-
graphie pariter ignitis characteribus relu-
cente. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Gen.
14. vers. 21.

3. Videbatur Hercules medius palman
inter & olivam sub umbra utriusque confi-
dens, dextrâ clavam gestans & sinistrâ su-
per altare innixus, cum verbis illis flam-
meâ epigraphæ expressis, quibus Henricus
Imperator utitur ad Stiliconem apud
Claudium: *Robur in armis pace probata fides.*

4. Manus è nubibus eminebat inter duos
digitos complexa margaritam, cum ver-
bis Evangelii: *Vendidit omnia, quæ habuit, &
emit eam,* Matth. 13. vers. 26.

5. Proponebantur aspectui pulli qui-
dam gallinæ, qui subter alas gallinæ
congregantis confugiebant, ut absconde-
rentur, cum verbis Christi: *Quoties volui, Sc.*
Matth. 23. vers. 37.

6. Imago Pastoris arbori innixi cum
pastorali baculo, circumcirca pabulante
grege circumdatus: ad dextram pastoris
He-

legere erat extantam epigraphen illis verbis eradiantem, quibus utitur Virgilius in laudem Augusti toti orbi pacem reducentis. *Deus nobis hæc otia fecit.* Virgil.

Circa eadem tempora post pacem in Anglia promulgatam, etiam ii qui Jacobo Regi expulso adhuc favebant, variis in urbibus nummismata disperferunt, in quorum una parte imago Ducis Walliæ expressa cum inscriptione *Jacobus Princeps Walliæ* in altera parte variabant nummismata, ita ut quædam præferrent nubem fumo impulsam cum inscriptione, *quo compressa, magis extollitur.* In aliis sol oriens pulsâ caligine cum lemmate: *Clarius è tenebris,* In tertia sorte nummismatum sol oriens cum epigrapha: *Facit iste serena omnia.* In aliis denique videre erat columbam rostro olivæ ramum gestantem cum hac inscriptione: *Mansura nuncia pacis.* Quibus imaginibus Angli bene adhuc animati erga Jacobum affectum suum si non aperte sub ænigmaticis saltem figurarum involucribus significabant.

Magnus Moscoviæ Dux Petrus Alexavich excitus famâ Augustissimi Cæsaris Leopoldi & dissimulatâ sua persona cum suis legatis urbem Viennensem die 26. Junii ingressus, & maxima pompâ, quâ fieri po-

potuit in Favoritta (ut vocant) elegantissimè ac pretiosissimè multis diebus ante in hunc finem præparata ab Imperatore Augustissimo exceptus est , ubi mutuis salutationibus benevolentix & amicitix signis ac contestationibus alter in alterius honore ac veneratione , colloquium sat longum protraxerunt , ut quamvis simulatâ unius personâ , nequicquam tamen simulatis affectibus ambos convenisse luculentum videretur. Die 9. Julii Guttendorffii prope Viennam, in quem juxta Calendarium vetus, festum SS. Petri & Pauli, adeoque diei natalis hujus Principis memoria incidebat, genethliacis gratulationibus à tota Imperatoria aula serenissimo hospiti applaudebatur, & sub epulis à præstantissimis musicis diversi generis centum septuaginta instrumentis Amphionia arte concertatum est, choream trecentis Damis & totidem Cavalleriis splendidissimâ (ut vocant) Gallâ adornantibus. Choream exceperè incumbente jam nocte festivi ignes Zarii nomen præter cætera visu jucunda ignis artificiosi spectacula, repræsentantes V. P. Z. M. *Vivat Petrus Zaar Moscovie*, quæ gaudia lautissima merenda omni ferculorum & bellariorum genere sumptuosissimè & elegantissimè instructa

structa

structa complevit, ut nihil deesset, quo
 peregrinum & adeo rarum gratumque
 hospitem oblectare posset, *Pietate enim*
 inquit Cassiod. Var. lib. 12. epist. 9. *Pi-*
num opus est, peregrinam gentem publicis i-
neficiis obligare. Die 21. Julii ejusdem
 magni Hospitis honoribus in Favorita
 Cæsarea celebratum est festum epulari
 (quod hospitalitatem, vulgò *Wirtshaus*
 appellant) ubi à Comitibus ac Principibus
 illustrissimis & serenissimis actoribus et
 personis utriusque sexus scenico vestita
 præcipuæ totius mundi nationes secun-
 dum conditionum, statuumque ac sexuum
 diversitatem repræsentatæ, ut ad mensam
 octoginta sex pedum Viennensium lon-
 gitudine hospitem epulantium numero
 haud imparem, ex toto mundo conviva
 peregrini confluisse viderentur, sic ap-
 positè magno Zaario in incognito (ut lo-
 quuntur) assidenti hospiti omnibus pari-
 ter convivis in incognito officiosè hono-
 rem deferentibus. Inter has epulas Au-
 gustissimus Imperator accepto in manus
 præstantissimi crystalli poculo, ipsi Zaa-
 rio propinavit in sanitatem Magni Zaari
 Moscoviæ, quem ipse haud dubiè omnium
 optimè nôsset, summa quoq; veneratione
 Zaarius reposuit, esse utiq; haud alium qui

intus & extra, intimius & certius novisset
Magnum Zaarium præter se, de quo id
quoque certâ scientiâ noverit, Augustissi-
mo Imperatori Leopoldo & Austriacæ
domui addictissimum esse & permansurum
in perpetuum, quod vicissim ejusdem po-
culi liberalissimo haustu & alias si opus
fuerit ferro suo & sanguine suo contestari
paratus sit. Et sic quidem inter mutuas
amicitiæ contestationes & epularum ille-
cebras & gaudia jucunda illa Hospitalitas
peracta est. Posthæc lustratis omnibus
tum Viennæ, tum extra Viennam visu dig-
nis, etiam Presburgo, quò se in paucorum
comitatu contulit, Viennam redux Augu-
stissimo Imperatori valedixit, die 25. Julii
oblatis prius præstantissimis muneribus,
quæ Legati Moscovitici attulere, &
per manus viginti quatuor civium honora-
torum Viennensium, holoserico nigro
decorè & pretiosè indutorum ad Cæsarem
reportata sunt. Imperator autem veluti
prasentem hospitem honoravit, ita disce-
dere volentem cum honore dimisit, qui
in Moscoviam accelerato itinere remea-
vit, post peregrina curioso oculo perlu-
strata, nunc in iis quæ sua & propria sunt,
prospecturus, & motus nonnullos com-
positurus.

Annus

Annus hic majori ex parte in Europa legationibus ultro citroque inter coronas reciprocandis consumitur, uti & in pacis initæ tractatibus declarandis, & in querulantium partium gravaminibus aliisque componendis, quæ longi & calamitosi belli appendix sunt, & sicuti morborum reliquæ in convalescente corpore ipso morbo sæpè diutiùs & tenaciùs adhærent, donec redintegratis perfectè viribus de novo reconciliata valetudo firmetur, ac plenè restituatur. Et quemadmodum dives institor naufragium perpeffus, si tabulæ auxilio eluctando per undas portum obtinuit, inopiam suam circumspicit, & jacturam computat, sic urbes quas ferox bellum incineravit, & incolæ quos bonis suis exutos abegit, illi nunc ad paternos fundos remeantes circumspiciunt nuditatem & miseriam suam, ac dolorosâ amissorum recordatione damna inflicta ad calculum revocant. Ita sedens inter rudera sua Wormalia damna sua reduxit ad summam 3009020. Imperialium. Episcopatus Wormaliensis reduxit ad summam 1262749. Imperial: Spira similiter inter rudera & cineres reduxit ad summam 3334004. Florenorum. Præter ea damna quæ Spirensis Episcopatus & Camera Imperialis. valde

aer.

acerba & gravia sustinuerunt. Ducatus
Würtembergensis reduxit ad summam
366281. Livres sive Tonnas auri viginti
quatuor & 55426. Imperial: sic Heidel-
berga, sic aliæ & aliæ urbes, sic Palatina-
tus sic alii & alii dominatus nunc in ortu
pacis computantes damna, renovant do-
lorem suum; & sine fructu restitutionis,
simplicissimam sementem præensionum in
sterilem chartam projiciunt.

Hoc anno die 23. Novembris primùm
in aulâ Cæsarea Viennæ declaratur Wil-
helmina Amalia Dux Brunsvigo-Hanove-
rana pro sponsa Augusti Regis Romano-
rum Josephi I.

Galli vi tractatum pacis Riswicensis
die 7. Novembris excedunt Philippopoli
Cæsareo præsidio immisso, similiter Cæ-
sari redditur Friburgum.

Serenissimo Marchioni Ludovico Baa-
rensi die 22. Decemb. Electorem ac Impe-
rialium civitatum consensu ad Augustissi-
mi Cæsaris postulata munimentum Khell-
cum omnibus appertinentibus transcribi-
tur, etiam ad omnem masculam succes-
sionem ex hac linea derivandum.

(1699.) Augustissimi Cæsaris jussu
die 1. Viennâ abijt Princeps Lobkovitzius
ad Regiam sponsam Wilhelminam Ama-
liam

liam è Ducibus Hanoveranis salutandam & adducendam Augusto Romanorum Regi Josepho & Mutinæ celebrantur copulationis ceremoniæ, vices Regii sponsi obtinente Duce Mutinensi, Rex vero Josephus Augustam suam neosponsam in oppido Tulna coram salutatur die 19. Februarii, & inter festivos applausus urbis Viennensis die 24. ejusdem Hymenæi solennia celebrat. Cui Augusta sua primam filiam Mariam, Leopoldinam, Theresiam, Josepham, Elisabetham, Xaveriam, die octavo Decembris hoc anno feliciter enixa est: Faxint superi: ut tales pergat filios parere, quales constat Josephum Patrem & avos habuisse.

Die 25. Maji moritur Serenissimi Electoris Baviaræ primogenitus Leopoldus Augustissimus Cæsaris ex filia Maria Antonia nepos.

Turcæ missis Belgradum Legatis pacem petunt ab Invictissimo Imperatore Leopoldo, quem in finem Cæsareus exercitus castra locavit, haud procul Futackoza, Turcicus autem juxta Semendriam, & inter duos exercitus juxta Sirmium in patenti campo oblongum Tabernaculum sumptibus utriusque partis ita ædificatum fuit, ut in quatuor angulis conclavia pro qua

quatuor legatis & inter quatuor conclavia media aula ampla & oblonga construeretur, à quatuor partibus foribus aperta & pervia. Indictum adhæc armistitium, & ad quatuor milliaria in circumferentia complanatae viæ ut securus esset omni ex parte euntium & redeuntium aditus, & locus amplior tentoriis in circuitu pro cujuslibet ex legatis comitatu collocandis: Initium deinde datum est tractatibus die 3. Novembris Plenipotentiaris presentibus Cæsareo, Moscovitico, Veneto, Turcico Vezirio, ac Tartarorum Chamo, cum asseclis suis, nec non Legato Britanniae Regis & Ordinum confœderatorum Belgii tanquam mediatorum, & pax demum post plures sessiones 25. annos servanda, die 29. Januarii currentis anni 1699. conclusa: atque interea mutuae visitationes Dominorum Legatorum solenniter & amicè exceptæ, & redditæ, & ab offensionibus hostilibus usque ad ratihabitionem Principalium utrinque cessatum. Ratificatio & Confirmatio ab Augustissimo Leopoldo transmissa die 15. Februarii, comparatio mutua extradita, adhibitâ consuetâ solennitate die 4. Martii. Domus Conferentiarum, in qua pax optatissima conclusa est, ad perpetuam & tam gloriosi belli

B b

à Les-

à Leopoldo superis adspirantibus gesti,
& feliciter ac victoriosè ad finem perdu-
cti memoriam, RR. Patribus Franciscanis
Provinciae Bosniæ donata pro cænobio &
templo Carolovicensis pacis. Ubi etiam
templum inauguratum est sub nomine
MARIÆ DE PACE.

Veneti decimo Septembris navali præ-
lio cum Turcis confligunt, & victoriam
gloriosam evincunt, suorum mille quin-
gentis quadraginta quatuor cæsis, & cen-
tum ac novemdecim vulneratis, hostium
autem ad quater mille interfectis & bis
mille vulneratis, quæ victoria Venetos
supra modum erexit, & impulit ad Deo
solennes gratias persolvendas.

Magno Moscoviæ Duce peregrinas-
terras & mores Europæorum gentium
perlustrante, Sophia soror Zarii, & cum
ea quidam Religiosi Russicæ Ecclesiæ aut
potius schismatis metuentes, ne forte Ec-
clesiæ Latinæ ritus & unionem cum Ro-
mana redux in Moscoviam Zaarius secum
inveheret, conspirant, & motibus in reg-
no concitatis, cum non parva manu Stre-
lizzorum (sunt hi Custodiæ magni Zaarii
præcipui & fortissimi pugnatore) adver-
sus Zaarium insurgunt, sed adeo temerariè
& infeliciter, ut primo statim reditu
Ducis

Ducis compressi fuerint, quorum plurimos crudeliter multavit: duas enim moniales ejus claustrum, quod Sophia incolebat (fuerat enim in pœnam similis rebellionis anno 1682. concitata, in illud intrusa, & in ordinem redacta) vivas, ante fenestras Sophiæ in terram defodi, & intumulari, Strelizios mille circa muros in circuitu monasterii suspendi, aliquot Bojarios inhastari, duos religiosos vivos crucifragio contusos, & semi-enechos in rotas agi, & Vice-Patriarcham exercitus funestam quoque furæ infamis appendicem fieri mandavit, & huic barbaræ executioni crudelis spectator adesse non exhorruit, suam ulciscendi cupiditatem hoc spectaculo exfatiaturus.

Rex Christianissimus Ludovicus die 13. Octobris Cathedrali Ecclesiæ Argentinensi Pretiosissima ornamenta transmittit, candelabra argentea, Crucifixi Imaginem argenteam magni ponderis, casulas & similia, liberaliter, & fere regiâ munificentia auro & gemmis constita.

DE RATIO-STATISTIS.

HI pro fine suorum omnium consiliorum, ac cunctarum actionum, & operationum præcisè rationem statûsponunt ac statuunt, nihil pensantes.

habentes, an media, quæ adhibent ad promo-
 vendam vel conservandam rationem status, sint
 justa vel injusta, doctrinæ Christianæ consona
 vel dissona, dictamini conscientia conformia vel
 difformia, pluribus innocentibus noxia vel in-
 noxia, dummodo ea aliquatenus ad hunc finem
 atilia & proficua esse videantur. Magnus hic
 est error, & ut plurimum Magnorum coram
 hoc seculo. Magnus inquam error & maxima
 iniquitas. Quæ enim major iniquitas esse po-
 derit, quàm ut ex eo præcisè unus & quidem
 innocens elevetur, alter innocens humilietur,
 unus injustè ditetur, alter justè rebus compa-
 ratis aut possessis exspolietur, mille mortes
 promeritus ut splendide vivat & honoretur, al-
 ter vitam piam ducens eadem privetur, con-
 demnetur & morte plectatur; unus sine labore
 & otio diffuens divitiis affluat, alter in sudore
 vultus sui panem quærens, multis miserijs & ca-
 lamitatibus involvatur: ut nocentes & turbu-
 lenti dominantur, innocentes spolientur & qui-
 eti perturbentur. Describit graphicè regium
 Psaltes horum Ratio statistarum instabilem &
 miserabilem statum, & simul ostendit, quod cum
 alia media adhibent ad conservandam vel pro-
 movendam rationem status minimè illam sta-
 biliant, seu stare ac consistere faciant, quin po-
 tius eandem maximæ ruinæ exponant, sic de ijs,
 prophético spiritu psalmo 72. loquens: Quia in
 labori.

laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. v. 5. Hoc est: quia non proprio labore sed, aliorum oppressione rationem sui status promovere & conservare volunt nec consistantur cum inopia & aliis malis, quibus plerique hominum vexantur, & flagellantur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. v. 6. Id est. propterea superbiunt & coopti sunt flagitiis, iniquitate & impietate. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. vers. 7. Id est ex abundantia, saturitate, prosperitate, bonorum affluentia iniquitas eorum prodiit valde copiose & abundanter, sicut effluit adeps ex pinguisimo animali. Transierunt in affectum cordis, ibidem. Id est: totos se tradiderunt explendis animi affectibus, ut non legi Dei, vel recte rationi & sue conscientie, sed suis concupiscentijs & designationibus obsequantur. Cogitaverunt & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt v. 8. In excelso, hoc est, ex sublimi, & excelso loco palam publice. Posuerunt in Caelum os suum id est blasphemum, scilicet contra Deum & sanctos ac sanctorum doctrinam legemque Dei. Et lingua eorum transivit in terra: ibid. Vel ut sanctus Hieronymus legit: lingua eorum deambulavit in terra; vel ut Chaldeus: lingua eorum ardet in justos, quasi diceret: nemini hominum in terra parcunt,

Sed omnes opprimere volunt, ut se ipsos extol-
lant & rationem sui status promoveant. Haste-
nus de illorum prosperitate regius Propheta. Jam
videamus quid prædicat de illorum ruina &
interitu.

Veruntamen (inquit v. 18.) propter do-
los posuisti eis (subintellige mala) aliqui
textus græci habent expressè : propter dolos
posuisti eis malum ita ut sensus sit: propter do-
los, quibus impij & iniusti ac Pseudo Ratioſta-
tista usi sunt erga proximos suos, ut divitias
augerent, & rationem sui status per illicita
media promoverent & conservarent, reposuisti
eis mala & fecisti, ut doli in eorum perniciem,
ruinam & interitum verterentur. Hebraica lectio
quæ est apud D. Hieronymum sic habet: Verun-
tamen in lubrico posuisti eos, dejecisti
eos in interitum. Id est: dum iniustis di-
vitiis & prosperitatem ac felicitatem dedisti, po-
suisti eos in loco, unde facile labi possent, & quia
suo vitio nesciverunt, in lubrico cautè ambu-
lare, lapsi sunt, justo tuo Judicio in interitum. Per-
git idem S. Propheta dicens: dejecisti eos dum
allevarentur: ibid. Hoc est: ut dum in altum
eos evexisti subito dejiceres, & precipitares
eos, ut sic lapsu graviore ruant. Quomodo
facti sunt in desolationem, subito defece-
runt, perierunt propter iniquitatem su-
am: Hoc est facti sunt similes civitati desolate

Dirute, ubi nihil apparet præter ruinas: Et tandem concludit: Velut somnium surgentiam Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Id est: velut evigilantium è somno somnia, quibus somniantur suam felicitatem, evanescent dum expergiscuntur, ita dum ventum fuerit ad alteram vitam, imaginariam eorum Et somno similem felicitatem quam ipsi tanto labore compararunt, ad nihilum rediges, imò nec in hac vitâ diu durabit. Experienciâ siquidem habemus, tales acquisitiones Et conquisitiones intra exiguum tempus deperire. De male quæsitis non gaudet tertius hæres, ut commune fert adagium.

DE SECTARIIS CALUMNIANTIBUS NOSTRI TEMPORIS.

Hujus furfuris sunt quàm plurimi, tum Lutherani, tum Calviniani, qui dum suæ sectæ veritatem probare non possunt, neque doctrinam genuinam Catholicæ fidei improbare, confugiunt ad enormes Calumnias, ea impingendo fidei Catholicæ, quæ Catholica Ecclesia nunquam docuit aut tenuit, imò quæ ut falsa reprobat, damnat, Et anathematizat, Et hujusmodi calumniæ Et impudentissima mendacia sunt sequentia: 1. Nos pluris facere traditiones hominum quàm verbum Dei. 2. Sacram scripturam &

nobis corrumpi & adulterari. 3. Fidem à nobis negligi, sola opera commendari. 4. Nos docere peccatorem suis operibus mereri gratiam & remissionem peccatorum, 5. Non minus Sanctos quàm Christum à nobis coli. 6. Imò Sanctos pro Dijs apud nos haberi & adorari. 7. Dum moriendum est, nos non confidere in meritis, & passione Christi, sed partim in patrocinio sanctorum. 8. Nos asserere Pontificem dispo- nere posse contra vetus & novum testamentum.

✠(1700.)✠ Annus hic evoluto sæculo secundùm laudabilem Ecclesiæ consuetudinem Annus Sanctus sive Annus Jubilæus est, quod est Jubilæum majus, Romæ his cæremoniis publicatum & celebratum est.

Post præmissam vigesimo die Decemb: denuo promulgationem Jubilæi, & inter applausus tormentorum bellicorum & compulsatarum companarum per urbem, in vigilia Nativitatis Domini Eminentissimi Cardinales in Sacello S. Sixti, in Vaticano, præmissis Hymno *Veni Creator Spiritus*. solenni supplicatione omnes sacerdotalibus paramentis pretiosè & piè adornati candelas ardentes è virginea candida cera gestantes contulerunt se ad Ecclesiam S. Petri, tunc (sicut & cæteræ Ecclesiæ) clausam: ad hujus portam muratam, quæ dici solet SANCTA, in throno altiore

tiore ad hanc solennitatē constructo, Cardinalis Bouillonius (Erat ille tanquam Vice-Decanus Eminentissimi Collegii Cardinalium ad sanctas has functiones obeundas designatus, summo Pontifice, uti & Cardinale Cybo Decano Eminentissimi Collegii infirmitate impeditis) tantisper confedit, cui Vice-Auditor de la Rote Mr: Caprava, argenteum & deauratum malleum obtulit, quo Cardinalis tertiâ vice portam percussit & quidem primâ vice præcinens: *Aperite mihi portam justitiæ, & musico Choro respondente: Ingressus in eam confitebor Domino, secundo ictu illud simul insonuit altâ voce, Introibo in domum tuam Domine, respondente Choro, adorabo ad templum sanctum tuum, ad tertium ictum addidit: aperite portas, quoniam nobiscum est Dominus, cui Chorus subjunxit, Qui fecit virtutem in Israël.* Posthæc à fabris mureis murus S. Petri foribus oppansus disiectus est, populo Romano ac Peregrinis æmentum & lapides magnâ devotione rapiantibus. Dicitur autem hæc PORTA SANCTA, eò quòd per illam uti decet ingredienties sanctitatem, seu gratiam divinam consequantur, & quando illa clauditur, tunc lapides, calx, & alia id genus benedicantur.

Interea rediit Cardinalis Bouillonius ad thronum, in eoque confidens aureum malleum Auditori Rotæ Capravæ reddidit. Consvenerunt autem Pontifices ejusmodi malleos Principibus viris peractâ cæremoniâ dono mittere, sed hac vice ipsi Bouillonio à summo Pontifice qui eò ut instrumento in opere sancto ritè usus erat, tanquam operario bene de Ecclesia merito dono relictus est. Malleo deposito, assurgens è throno Cardinalis nudato vertice oravit Collectam: *Actiones nostras, Sc. aspirando præveni.* subdidit dein: *Dominus vobiscum.* & respondente Choro, *Et cum spiritu tuo*, tertia nunc vice resedit in throno, musicis solennissimè cantantibus Psal. 100. *Jubilate Deo omnis terra*, populo adhuc in lapidibus & cæmento reverenter attollendo, aliis etiam nummos, qui post ultimo terminatum Jubilæum, dum porta sancta occluderetur, cæmento & lapidibus commixti erant, perquirentibus. Pœnitentarii in vestitu quoq; Sacerdotali pavimentum & PORTAM SANCTAM aquâ benedictâ aspergunt. Ante introitum per PORTAM SANCTAM Cardinalis præmisit, *Hæc dies quæ fecit Dominus.* respondente CHORO: *Exultemus & letemur in ea,* CARDINAL: *Beatus populus tuus, Domine,* CHOR: *qui fecit tabernaculum*

culum, CARDINAL: *Hæc est porta Domini*,
 CHOR: *Iusti intrabunt in eam*, CARDINAL:
Domine exaudi orationem meam, CHOR: *Et*
clamor meus ad te veniat, CARDINAL: *Dom-*
inus vobiscum, CHOR: *Et cum spiritu tuo*. Car-
 dinalis cantat Collectam: *Deus, qui per*
Moysem famulum tuum populo Israëlítico an-
num Jubilei Et remissionis instituisti, Sc.
 Quâ cantatâ descendens de throno à Ca-
 prava porrectam Crucem dextrâ, & sinistrâ
 ardentem cereum excipiens, subter POR-
 TAM SANCTAM in introitu procidit in ge-
 nuâ & insonuit alta voce: *Te Deum Laudamus:*
 & denuò sese erigens, crucem ac cereum
 Primate Pœnitentiariorum in manus tradi-
 dit, processitq; in templum, ubi in alio al-
 tiore quoque loco, eminente in Sacello
 SS. Petri & Pauli, iterum resedit, & à
 Primariis quibusque excepto manuum of-
 culo (quod alias Pontificis summi Cære-
 moniam sanctam obeuntis pedibus exhibe-
 ri solet) portæ aureæ custodiam nobilibus
 viris commisit, totâ interim splendidissimâ
 & devotissimâ supplicatione inter Hymni
 Ambrosiani festivum cantum per SANCTAM
 PORTAM introeunte. Et demum à singulis
 Cardinalibus, factâ Cardinali Pontificis vi-
 ces agenti eâdem, quæ alias summo Pon-
 tifici præstari solet, reverentiâ, & (sano
 B b 6 pioque

pioque Catholicorum sensu) adoratione, vesperæ decantatæ sunt, iisque finitis populo benedictio solenni ritu impertita, inter tormentorum crebras explosiones, & tympanorum & tubarum clangorem, & per totam urbem compulsatarum campanarum sonitum: præsentibus huic actui viduâ Regina Poloniæ, Coronarum nunciis atque Legatis Prælatorum diversarum Ecclesiarum & Ordinum, Nobilium quoque & illustrium virorum admirandâ multitudine, & populo innumerabili, cum constet illo ipso die in urbe quinquaginta millia peregrinorum fuisse. Eorû verò qui Urbis Romanæ constantes inquilini sunt paulò antè inchoatum Jubilæum numerati fuerant 1300000 non computatis Judæis & advenis, qui & ipsi ad viginti millia tunc fuisse scribuntur.

Interea tres Cardinales *Panciatici*, *Panfilio* & *Moriggia* tanquam Legati Pontificii, post acceptam à summo Pontifice benedictionem, dum vesperæ ad DD. Petrum & Paulum decantarentur, magno Comitatu Prælatorum, nobilium, & illustrium virorû & *Moriggia* propter debilitatem virorû rhedâ vectus, in comitatu multarum rhedarum ad tres alias Ecclesias, nimirum S. Pauli, S. Joannis Lateranensis & S. Mariæ majoris

majoris, eodem ritu aperiendas se se, con-
tulerunt, quibus solenni processione ab
Ecclesiasticis cujuslibet dictarum Ecclesia-
rum obviam itum est: die verò sequente,
festo scilicet Nativitatis Christi Cardinalis
Bouillonius loco Pontificis solennissimè
ad Divum Petrum divina peregit, & om-
nes Cardinales Diaconi Epulo Eucharisti-
co piè refecti sunt. Et sic magnâ solen-
nitate, pietate & gaudio singulari anno
Sancto felicibus auspiciis initium datum
est.

Memorabilis hic annus est duplici le-
gatione Augustissimi Imperatoris ad Ot-
tomannicam portam & vicissim.

In munere Cæsarei Oratoris anno 1699.
die 20. Octob. Wolffgangus Comes de
Oetingen cum splendido comitatu secun-
do Danubio navibus sexaginta eleganter
ornatis & instructis Vienna Constantino-
polim solvit, ibidem octavo Februarii jux-
ta dignitatem utriusque Majestatis Chri-
stianæ & Ottomanicæ introductus est. Die
autem 30. Januarii currentis anni Cadu-
ceator Turcicus Ismaël magnifico quoque
comitatu Viennam ingressus est. Ambo
Legati munera pretiosissima pro more
in signum conciliatæ pacis & amicitie fir-
matæ offerenda secum attulere, quæ

utramque Majestatem decerent, & magnam munificentiam palam ostentarent.

DONA AUGUSTISSIMI
ROMANORUM IMPERATORIS.
PRO MAGNO SULTANO.

Tabula mensalis rotunda, inaurata, & opere malleato affabrè elaborata, utrinque ansata, globis innixa. Eiusdem operis ovata tabula. Subex focarius argento malleato proculus, cum operis eiusdem umbella. Frigaria duo nodosa, falcatis basibus. Minora 12. monopodia portatilia (vulgò Geridons) cum 12. lychnuchis pensilibus, quovis in sex ramos porrecto. Malluvia 2. deaurata, globatim malleata cum gutturniis. Vasa sex ad usum potûs Turcici, dicti *Caffè*, singulari opere malleato & globato proculsa. Scutellæ 12. argenteæ semi-deauratæ ad usum potûs Arabici, dicti *Serbet*, cum operculis & disco suppositorio. Lagenæ sex semi-deauratæ cum catenulis. Disci majores duo, argento malleato elaborati. Eiusdem operis acerræ duæ. Sex urcei florales operis eiusdem. Patera argentea malleati operis. Specula lychnophora sex opere malleato argentea. Salinum Hispanicum, & acerra cum appertinentibus.

Sex

Sex volumina telæ spisso auro intertextæ
lemniscatis floribus, & coloribus distinctæ,
volumen quodvis tegebat faccus holose-
rico-carmesinaus, aureis, argenteisque tæ-
niis celatus. Ejusdem telæ volumina sex
è filo argenteo. Fons saliens vastæ molis
plusquam centum marcarum ex argento
puro, operis malleati, vario aquarum lusu
& artificio admirabilis. Horologium ma-
gnum perpendiculare, quadrantes & ho-
ras pulsu indicans, opere malleato argen-
teum, cum artificioso lusu tintinnabulo-
rum. Horologium ovatum ex argento
puro malleatum, horas & quadrantes pulsu
indicans. Affabrè confecta machina cum
globo & lusu tintinnabulorum, atque ho-
rologio nocturno. Horologium argen-
teum in formam globi, se ipsum artificiosè
revolvens. Horologium Anglicanum
pensile, quod continuis quatuor septima-
nis volvitur, horas & quadrantes indicans.
Horologium stabile cum perpendiculo ex
argento puro. Mensa graphiaria, specu-
lum, horologiothecæ 2. monopodia 2.
& mensulæ musini operis, in usum potûs
Turcici Caffee. Supellex minuta deau-
rata in eundem usum. Supellex focaria
argentea. Abacus lusorius argenteus.

Pro

Pro Magnâ Sultanide.

COrbis inaurata cum operculo, opere malleato. Similis argentea, ansis inauratis. Ejusdem generis alia ex argento mundo sine operculo. Horologium magnum speculare. Horologium argenteum tabulatum cum perpendiculo, quæ simul omnia granulata & gemmis distincta erant, addito artificioso lusu tintinnabulorum. Repositoriolum mundi muliebris gemmis distinctum.

Pro Sultanide validâ.

Mensa globatim in margine malleata, in usum Caffee cum vasibus appertinentibus. Urcei florales duo scitè deaurati, foliis ac floribus opere encaustico exornati. Candelabra ad parietem pensilia 2. perscitè deaurata. Corbes 4. argento implexæ. Horologium orbiculare, artificiose granulatum, lapillis distinctum. Machina artificiosa argento malleato, continens horologium perpendiculare, globum artificiosum, & lusu tintinnabulorum. Urceoli Majales sex, ex lapide rubro, & opere encaustico exornati. Repositoriolum argenteum mundi muliebris.

Pro Magno Vezirio.

MAlluvium, & gutturnium deauratum
semis.

semisphæricè malleatum. Frigarium argenteum nodosum falcatis basibus. Argentea duo monopodià portatilia cum 2. lychnuchis pensilibus. Discus mājor argenteus opere malleato. Corbis argentea sine operculo inauratis ansis opere malleato. Scutellæ sex semi-deauratæ ad usum potûs Arabici dicti Serbet, cum operculis & discis suppositoriis. Urcei argentei duo pro potu Cafféé, opere malleato. Vasa 4. spargendis odorariis aquis. Horologium magnum perpendiculare horas & quadrantes sono indicans, ex argento puro operis malleati, addito lusu artificioso tintinnabulorum.

Pro Bassa Belgradensi.

MAlluvium & gutturnium deauratum. Lagenæ duæ semi-deauratæ cum catenulis Urcei deaurati duo pro potu Cafféé. Vas argenteum pro aqua rosacea. Scutellæ sex semideauratæ ad usum potûs Arabici, dicti Serbet, cum discis suppositoriis. Discus major argenteus opere malleato. Horologium magnum perpendiculare, horas & quadrantes cum phasibus lunæ indicans, ex argento puro, operis malleati.

Pro secundo Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum
glo-

globatim malleatum. Scutellæ sex
semi-deauratæ ad usum potûs Serbet cum
operculis & discis. Horologium quadra-
tum in formam turris, perpendiculare, ho-
ras & quadrantes indicans, ex argento
operis malleati.

Pro tertio Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum,
globatim malleatum. Scutellæ 4. se-
mi-deauratæ ad usum potûs Serbet cum
discis totidem. Horologium magnum
orbiculare argenteum, operis malleati.

Pro quarto Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum,
globatim malleatum. Scutellæ 2. ad
usum potûs Serbet, cum totidem discis.
Horologium Anglicanum pensile, tribus
campanulis sonans. Horologium stabile.

Pro quinto Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum.
Scutellæ 2. ad usum potûs Serbet, cum
totidem discis. Horologium magnum
orbiculare.

Pro sexto Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum.
Phiala argentea operis malleati. Scu-
tellæ 2. ad usum potûs Serbet, cum to-
tidem

tidem discis. Horologium ex argento puro stabile cum perpendiculo.

Pro septimo Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum. Discus argenteus operis malleati. Scutella una ad usum potus Serbet cum disco uno. Horologium Anglicanum pensile, horas & quadrantes sono indicans ex argento puro.

Pro Musti.

COrbis argentea ansata, scite deaurata, operis malleati. Scutella ad usum potus Serbet cum disco uno. Horologium magnum argenteum pensile, quod continuis quatuor hebdomadis volvitur, horas & quadrantes sono indicans.

Pro Cancellario regni, Effendi dicti.

GRaphiarium deauratum ex argento, operis malleati. Candelabra quatuor ad parietem pensilia. Cistula scite elaborata pro conservando Caffee. Horologium magnum orbiculare argenteum.

Pro Mauro Cordato.

MAlluvium & gutturnium deauratum. Scutella semi-deaurata ad usum potus Serbet, cum disco. Horologium castrense sonans & excitans.

DONA

DONA IMPERATORIS
TURCICI AD IMPERATOREM
ROMANORUM MISSA.

1. Tentorium magnum, aureis floribus operis Phrygii, variâque arte splendide exornatum. 2. Crista (quam Ardearum vocant) ex candido rubra, 52. majoribus & minoribus adamantibus distincta. 3. Frænum aureum opere encaustico rubro ac candido elaboratum, 531. adamantibus, & 338. pyropis in fronte fræni exornatum. Duplex item catenula aurea ab ephippio ad lupatum propendens, tribus aureis nodulis dispuncta. Cingulum & phaleræ gemmis opulenter confitæ auro artificiosè intertexto. Ephippium ex auro confectum more Turcico. 4. Stapedes aurei, 128. adamantibus, & 240. pyropis ornati. 5. Stragula floribus in formam rosarum picta, pyropis, smaragdus, & parte inferiore unionibus distincta, lacinia unionibus confitæ, & stragula serico flavo subducta erat. 6. Clava argentea (Pusicanus Divani, sive consilii dicta) auro depicta, musini operis 17. pyropis, & 25. smaragdus distincta. Tæniæ appensæ è serico rubro floribus intertexto, unionibus & smaragdus variatæ. 7. Ephip-

Ephippium holoserico-rubrum unionibus
& smaragdis distinctum cum stapedibus.
8. Stragula tribus rosis aureis picta opere
Phrygio. 9. Stragula coccinea ephip-
pium contegens, floribus & filo aureo
contexta. 10. Frænum Turcicum sub-
fuscum, aureum, opere encaustico, 122.
smaragdis, 381. pyropis distinctum, per-
pendiculo frontis 49. adamantibus orna-
to. Ephippium, phaleræ omnes, & lora ar-
tificiosè elaborata, cum catena aurea du-
plici. Quæ omnia in solenni Turcarum ad
Imperatorem ingressu spectanda fuere.
11. Par stapedum ex argento mundo in-
auratum. 12. Stragula lanea in qua 26.
rosæ unionibus & coralliis opere Phrygio
depictæ. 13. Ephippium holosericum
à tergo & fronte argenteum, in medio au-
tem aureo filo pictum. 14. Instratum
holosericum tribus aureis rosis exornatum
15. Stragula coccinea totum ephippium
tegens, floribus aureis intexta. 16. Ma-
gnum ambari frustum 44. & dimidiam un-
ciam tenens. 17. Decem frusta Moschi.
18. Quindecim frusta Bezoar. 19. Vo-
lumina duo panni filo aureo. 20. Vo-
lumina duo holoserici rubri filo aureo in-
texti. 21. Volumina sex serici auro &
floribus intertexti Constantinopoli. 22.
Volu-

Volumina decem telæ sericæ, dictæ Durachi. 23. Triginta quinque volumina telæ sericæ, dictæ Imperialis. 24. Vingtivolumina telæ serici auro intextæ. 25. Tapetes Persici quatuor floribus picti. 26. Alii quatuor tapetes. 27. Equus coloris milvi, in Turcomannia natus patre *Hagi-Oghlir*, matre *Tasbas* dictâ. 28. Equus Turcomannicus coloris puniceus natus patre *Razza Mandmudi*, matre *Zulfa*. 29. Equus è provincia Beidelenchi, patre *Razzâ Arondau*, jubis decorus, coloris gilvi. 30. Equus Arabicus, patre *Hadadi*, matre *Silavi*: ita Turcis in more positum, equorum suorum genealogias annotare. 31. Catenæ argenteæ duæ, alligandis in stabulo equis. 33. Leopardi duo, serico Persico floribus intertexto vestiti, catenisque argenteis circumdati, qui in solenni ingressu Turcici Oratoris equis sic ornati infidebant.

His suo nomine addidit Legatus Turcicus tres pretiosas vestes more Turcico confectas pro Serenissimis tribus Archiducissis, ac totidem cidares plumis ardearum & adamantibus exornatas.

Tandem aliquando sub auspiciis Augustissimi Cæsaris Leopoldi I. post centum & octodecim annorum pertinacem erro-

rem

rem & grandem historiarum confusionem
concordia Calendarii ab A catholicis inita
est.

Die 1. Aprilis Galli juxta tractatus pa-
cis Riswicensis restituunt Brisacum.

Apud Protestantes in Dania, Svecia,
& Hollandia magnæ fiunt collectæ pro
exulantibus Hugonottis Galliâ expulsis,
quorum plusquam centum familiæ in
West-India collata pecuniarum magnâ
summâ à Kockio Anglicano Equite am-
plissimum terræ districtum emerunt, quem
Carolus II. Angliæ Rex Kockio in *Novâ
Floridâ* donaverat, ubi colonias suas no-
vi advenæ instituunt, eodémque mille &
quingenti hoc anno iterum navigârunt,
coloniarum numerum aucturi, & indies
novæ familiæ eò se conferunt, in terras
illa feris, volucris, piscibus abundan-
tissima, insuper glebæ fœcundæ, & cultu-
ræ agrorum apprimè idonea, etiam auri,
argentiq̃ue venis prædivite, rempublicam
aliquam condituri, quæ sui sit juris, & nul-
li obtemperet, nec Gubernatorem admit-
tat, soli autem Regi Angliæ juratâ fide ob-
ligetur, sub cujus auspiciis magnum etiam
indies incrementum novis illis indigenis
accedit, qui cuilibet advenæ centum ju-
gera agrorum, vel suâ, vel famulorum,
quos

quos conductitios secum adducere quisvis potest, si velit, industriâ, suo usui & comodo colenda gratis assignat, & perpetui dominii jure possidenda, si modò capitalem summam dalerorum bis mille, aut millesaltem secum contulerit.

Collectæ quoq; liberales fiunt in Anglia pro missione in eadem *Nova Florida* Verbi Ministrorū, ut reformatam prætentam religionem inibi implantent, propediem instituenda. Quo D. Bray, cum 26. aliis Verbi Ministris jam segregatus est Superintendens futurus. Omnes haud dubiè etiam multiplicaturi gentem, & curæ sibi habituri tritum illud, *Crescite & multiplicamini.*

Magno luctu aulam Lusitanicam 4. die Augusti funestavit mors Serenissimæ Reginæ Electoris Palatini, & Ducis Neoburgici Wilhelmi filix, Augustissimæ Imperatricis Eleonoræ Sororis, quæ Petro Lusitanix Regi anno 1687. nupta fecundi conjugii fructus quatuor Principes filios & duas filias in vivis reliquit: cum præcoce fato libitina unum rapuisset: cujus proinde tanquam matris meritissimæ de Serenissima domo, & pientissimæ simul ac prudentissimæ Reginæ obitum Rex afflictissimè tulit. Cui Cæsarea legatio luctum nonnihil temperavit,

Vix

Vix apricâ pacis introductæ serenitate nonnihil Europa enubilata est, & mortis dominantibus umbris iterum caligare incipit, novamque bellorum tempestatem minari, quando Hispaniarum Rex improlis moritur, die 1. Novembris anno ætatis 39. relicto testamento, de cuius valore & executione calamo & gladio litigat orbis. *Semper enim ubi in Principibus familiis nulli filii mares successores regni futuri, superstites manent, illic rerum mutationes, Reipublicæ perturbationes, ac ferè magnum Dei iudicium solet expectari.* Danæus Polit. Christ: lib. 3. in Aphori.

Romæ in sacro officio vehementer agitur controversia orta inter Missionarios è Societate Jesu in regno Sinensi, & quosdam aliorum Ordinum Religiosos, concernens cultum Confutii, in Sinensi Regno antiquissimum, & in populos longâ sæculorum serie, a vitis traditionibus & usu continuo radicum. Tenent autem & tanquam indubitatum in suis annalibus affirmant Sinæ, Confutium annis 500. ante Nativitatem Christi vixisse, & fuisse Sinensium veluti Aristotelem ac summum Philosophiæ Magistrum, à cuius doctrina magnum lumen toti Imperio Sinensi illuxerit, & æquissimarum legum, & vastissimi

Imperii gubernandi atq; conservandi norma tradita fuerit, quem proinde ut magni Sinensis Imperii magistrum colunt, ob doctrinam: suos autem progenitores venerantur ob vitam ab illis acceptam, ideo coram illorum tabellis sive imaginibus, cereos accendunt, incendunt odores, offerunt animalia, sues, capras, & similia, profitentur tamen, tum Imperator, tum Mandarinum, tum populus nihil se in Confutio vel progenitoribus divinitatis agnoscere, neque aliud quidquam venerari, quo humanam naturam superarent, & ad ordinem infinitæ divinitatis pertingerent, mereri autem ejus doctrinam specialem cultum ab omnibus totius Sinensis Imperii incolis, utpote perpetuū quoddam tributum gratitudinis, rationi humanæ valde conformiter: quia Sinenses docuit: I. Unum esse Deum, sive, ut ipsi loquuntur, Regem cæli, II. Incumbere cuilibet homini virtutem sectari, & lumen à natura inditum non extinguere, vitis, quæ virtutibus repugnant locum & imperium in semetipso concedendo. III. Parentibus defunctis & majoribus honorem deferendum etiam post mortem, eorum sepulchra visitando & ornando: propter hanc (Christianæ legi nequicquam difformem) ethicam ipso naturæ

turæ lumine manifestam & scriptam in
cordibus hominum tantæ æstimationis
Confutius est apud Sinas, ut in ordinem
Mandarinorum (qui sunt supremi Imperii
ministri) nemo admittatur, nisi in hac
Confutii Philosophia exercitatus discipu-
lus, dignissimum se magisterii laureâ præ-
buerit, unde etiam à litteratis quovis no-
vi. & plenilunio redeunte veluti academi-
câ quâdam festivitate adornatâ, memoria
magni hujus magistri celebratur. Volue-
runt Missionarii è Societate Jesu & quan-
tis potuere conatibus (citra damnû tamen
novellarum plantarû Christianitatis) hanc
inveteratam consuetudinem eradicare al-
laborârunt, cum verò experirentur mani-
festum periculû, ne cum zizaniis (apparen-
ter saltem talibus) bonum simul triticum
evellerent, aliunde etiam experientia
certâ scirent, has ceremonias esse meras
politicas ac civiles, consultum omnino
judicârunt, Neophytis suis hos ritus po-
tius permittere, quam intempestivo zelo
eos abominando & prohibendo populum,
& Mandarinos, ac Imperatorem, adversus
Christianam legem irreconciliabili odio
inflammare, cum ingenti jactura rei Chri-
stianæ. Hinc factum est, ut quidam, quos
zelus

zelus comedit (supponimus benignè, bonum zelum fuisse) illi ubique clamitare cœperunt contra idololatriam Christianorum Sinarum, quam Jesuitæ illorum Magistri docerent licitam esse, & confirmarent & propugnarent, & totam fere Europam terruerunt suis clamoribus, usque ad Pontificiam sedem pertinentibus, quibus hæretici illicò adhinnierunt, Jesuitas Idololatrias cusis & recusis libellis, affatim maledicentiæ suæ toxico infectis, & mendacissimarum calumniarum fermento æstuantibus passim perstringentes & exacerantes. Quibus Missionarii è Societate, in calumniis æquanimiter tolerandis, & fortiter simul invictæ veritatis clypeo elidendis exercitati, suas apologias opposuerunt, & solidis fundamentis innixi, negant & pernegant hos Sinenses ritus idololatriam esse, quia certo illis constat in China Confutium non haberi pro Numine, multo minus progenitores mortuos: unde quoque infallibilis consequentiæ necessitate certum habeatur, neque Confutium, neque progenitores ejus veris templis, veris altaribus, & veris ac propriè dictis sacrificiis coli, adeoque Chimericam idololatriam esse, cujus Societatis Jesu Missionarii in China, tanquam rei

&

& convicti per Europam proclamantur & infamantur. Insuper ingenuè & ut S. Matris Ecclesiæ filios decet, fideliter profitentur accuratâ veritatis indagine præmissâ, quovis tempore Romanæ sedis arbitrio se se obtemperaturos esse, nōrunt enim, & tanquam fide certū omnes Societatis Missionarii & Doctores docent, *non esse faciendâ mala, ut eveniant bona.*

Et quidem in hunc finem, pro veritatis agnitione & defensione Missionarii Societatis Jesu qui Peckini degunt, humilimè ad sedem Pontificiam retulerunt explanationem rituum Sinicorum, & sensum tum Imperatoris Sinensis, tum subditorum, secundum quem, talis tum Confutio, tum etiam progenitoribus cultus exhibetur. Testimonium insuper, suæ explanationi (priusquam illa Sanctissimo Patri ac Christi in terris Vicario transmitteretur) ab ipso Imperatore Sinensi, & præcipuis Mandarinis, de veritate suæ explanationis & Sinensium unanimi consensu expediri curaverunt: quod in hæc verba decretum, atque unâ cum litteris Patrum Missionariorum die 2. Decemb: anno 1700. exaratis, transmissum, & sanctissimo Pontifici Clementi XI. Romæ porrectum est.

IMPERATORIS SINENSIS
 Decretum super explanationem
 rituum pertinentium ad Confutii
 cultum Sinensibus usitatum.

QUæ in hoc scripto conti-
 nentur optimè scripta sunt,
 planeque concordant cum mag-
 na Doctrina Confutii. Cælo, Do-
 minis, Parentibus, Magistris, ac
 proavis debita obsequia præstare,
 ista orbi universo communis lex
 est. Ea quæ in hoc scripto con-
 tinentur sunt verissima, neque
 egent ullâ prorsus emendatione.
 Anno Kamhii 39. die 30. Lunæ
 sive 30. Novembris Anno 1700.

Subscripserunt se litteris ad sedem A-
 postolicam unâ cum hoc Imperatoris te-
 stimonio super verissimam rituum expla-
 nationem transmissis, Missionarii, qui
 Peekini morantur, è Societate Jesu, & a-
 grum illius novellæ Ecclesiæ laboriosè
 & sollicitè colunt ac plantant.

Phi-

PHILIPPUS CRIMALDI, Collegii.
Rector & V. Provincialis.

ANTONIUS THOMAS, Superior
Domûs Orientalis, Belga.

THOMAS PETERA, Lusitanus.

JOSEPHUS FRANCISCUS SCARIL-
LON, Gallus.

JOSEPHUS SVARETZ, Lusitanus.

KILIANUS STUMPF, Germanus,
Franco, Herbipolensis.

JOACHIMUS BONVETT,

JOANNES BAPTISTA de Regis

LUDOVICUS PERNON,

CAROLUS DOLCE,

DOMINICUS PARRENI,

}
Galli.

Igitur neque heterodoxi sibi in hac
Controversia Catholicorum Doctorum, &
quidem religiosorum virorum, tanquam
de divisione in unitate fidei facta applau-
dant, neque Catholici, non prius perlectis
doctis apologiis, ac ritûs hujus, seu cultûs
Confutiani elucidationibus, sinistro ali-
quo affectu, ad censuram contra dictos
Missionarios ferendam abripiantur.

Magnum Jubilæum hujus anni magnâ etiam pietate & populi ingenti concursu Romæ celebratum est, ita ut subinde uno tempore peregrinorum octuaginta millia intra urbem simul convenisse, deprehensum sit. Pietatis etiam & Charitatis opera à summæ & infimæ conditionis hominibus miram vim habuerunt in pertrahendis animis intuentium, & ad æstimationem de Catholica Ecclesia ingenerandam. Veneti, Florentini, Viterbienses, aliique suos majori Romanæ peregrinantium sodalitati confœderatos cœtus numerofo comitatu induxerunt, seque mutuis exemplis pietatis & charitatis ad majorem Dei cultum, & animæ suæ salutem hoc anno gratiarum studiosius & fructuosius operandam accenderunt.

Inter alia Principum virorum pietatis publicæ exempla, Poloniæ Regis filii Principes, Alexander & Constantinus, non erubuerunt nomen suum dare agonizantium sodalitati, & conductus funebres mortuorum ad sepulchra publicè aliquoties comitari, quos etiam, uti & natu majorem fratrem illorum Jacobum, qui & ipse una cum matre Regina Romæ aderat, tum Pontifex, tum alii Principes quidam donis submissis magnificè honorârunt.

præ-

Præter Principes Ditterichsteinium, Ducem Parmensem, Antonium Ducem Mutlonensem, Principes Nassovios Saarbruckenses, Principem Lubomirski, Ducem de Altona, Marchionem de Vasto aliosque permultos, Dux quoque Florentinus devotus spectator & promotor esse voluit communis Christianæ pietatis, qui secundo die festo Pentecostes, magnâ devotione, reverentiæ demississimæ contestatione genuflexus per sanctos gradus ascendit, & sequente Sabbatho in Laterano coram expositis DD. Petri & Pauli capitibus cultu prius exhibito, ardentem expetiit sacras reliquias Christi Domini, faciem ejus linteo impressam, lignum sacrosanctæ Crucis, lanceam, & similia contemplari, cum autem hæc laicis cominûs monstrari non solerent, prius à Summo Pontifice ad S. Petrum in Vaticano Canonicus declaratus est (quod ipsum alias Carolo V. à Pontifice Clemente VII, & Joanni Poloniæ Regi à Clemente X, & Regina Sveciæ Christianæ ab Alexandro VII, collato prius simili titulo, indultum fuit) & sic voti sui compos redditus, cultu reliquiarum religiosè peracto, Canonicatum, quem à Pontifice accepit, in ejusdem manus, confecto desuper instrumento resignatio-

gnatio-

gnationis, abdicavit, ac superpellicum & pluviale, aliaque paramenta pretiosa sacristiæ, & liberales eleemosynas pauperibus erogavit, cui vicissim Summus Pontifex S. Stephani Pontificis & Martyris ligneam sedem sanguine Martyris etiamnum conspersam dono dedit, quæ duos dies Damascenâ rubrâ telâ cooperta, conspectui & venerationi populi exposita fuit, atque à Magno Duce Florentiam die 11. Junii translata est, tanquam mnemosynon piæ hujus peregrinationis in Anno Jubilæo obitæ, ac Pontificiæ benignitatis summo utriusque tum Magni Ducis, tum Summi Pontificis gaudio & præstitæ, & redditæ mutuae benevolentiae contestatione.

A Jubilæo sæculari ad Jubilæum perenne (quemadmodum de Pontifice de Ecclesiâ optimè merito sperare licet) à Deo evocatus est die 27. Septembris Innocentius XII. anno ætatis suæ octuagesimo sexto, postquam decem annis Pontificatu difficilissimis temporibus magnâ prudentiâ & pietate perfunctus est. Exequiæ apparatu magnifico celebratæ, & castrum doloris erectum, quod acta præcipua & virtutes optimi Pontificis inter mille & ducentos cereos picturis elegantibus exprimebat.

In superliminari fornicati operis amplis
cha-

characteribus exaratis legebatur supra ef-
 figiem Innocentii à quatuor partibus ex-
 positam: INNOCENTIUS DUODECI-
 MUS PONTIFEX MAXIMUS. Pars an-
 terior repræsentabat sanctissimum Eucha-
 ristia Sacramentum in solenni Theopho-
 ria processionaliter portatum, cum inscri-
 ptione: *Sanctissimi viatici cultu amplificato.*
 Pars posterior exhibebat Innocentium se-
 dentem in throno, & Crucifixi imaginem
 variorum Ordinum Religiosis flectentibus
 porrigentem, cum inscriptione: *Religio-
 ne in Æthiopiâ & Americâ propagatâ.* à late-
 re verò uno, in simili throno confidens In-
 nocentius aures præbebat variis Legatis
 Orbis Christiani, aliisque diversorum sta-
 tum & conditionis, cum inscriptione:
Aperto semper ad Principem aditu. In latere
 altero schema depictum erat, pecunias ad
 castellum S. Angeli in æream cistam unde-
 quaque comportantium, cum inscriptio-
 ne: *Ecclesiastico ærario notabiliter aucto:* inte-
 grum enim millionem in hoc ærarium in-
 vivis intulit, optimus Ecclesiæ œconomus,
 providus ad instantes & futuras necessita-
 tes. Ad quatuor angulos castri doloris qua-
 tuor itidem in sublime, septuaginta octo
 pedum longitudine assurgentes pyrami-
 des constructæ erant; in prima propone-
 batur

batur

batur magna domus Senatoria, sita in citatorio & ab Innocentio ædificata, cum inscriptione: *Litigantium commoditati*. In secundâ, domus duæ telonariæ, ab Innocentio locatæ terrâ, marique, cum epigrapha: *Vestigalium pretio pauperibus erogato*. In tertia prostabat ab Innocentio ad S. Michaëlem ad littus constructum orphanotrophium, cum epigrapha: *Puerorum miserabilium institutioni*. In quartâ cernebatur portus ad Ancianum cum inscriptione: *Navigantium securitati*. Et hæc quidem ad pedes assurgentium pyramidum, in medio autem & ad angulos cuiuslibet pyramidis alia emblemata intermixtis parergis variis & insignibus Pontificis curiosè intuentium oculos pascebant. In horum uno depictus erat ignis, in quem libri damnatarum opinionum feraces coniciebantur, cum inscriptione: *Damnatarum opinionum audacia*. In 2. Aurea Porta à Pontifice aperta, cum inscriptione: *Anni Secularis inductio*. In 3. Pontifex iuxta castellum diversis pileos, & Cardinalatûs insignia atque honores distribuens, cum inscriptione: *Dignitatibus solo meritorum suffragio distributis*. In 4. inter populum panis liberaliter distribuebatur, cum inscriptione: *Annonæ censu liberaliter dimi-*

tuto

nuto. Et hæc funebris machina elegantif-
simè per omnia elaborata spatio tantum
quinque dierum cum admiratione die sex-
to Octobris consummata & illuminata spe-
ctabatur, quam ideò hîc latiùs inferere li-
buit, quia optimè de Christianâ republi-
câ meriti Pontificis virtutes adumbrat.

In vacantem Pontificiam Sedem Collegii
Purpuratorum Patrum, & Ecclesiæ Prin-
cipum æquissimo calculo euectus est die
23. Novembris Giovanni Francisco Alba-
ni, natus in hunc mundum anno 1650,
qui nomen Clementis XI. assumpsit, de cu-
jus eximia prudentia, pietate, & perspe-
ctâ virtute meritò Ecclesia Catholica sibi
applaudit: cui Deus suam protectionem,
benedictionem & faustitatem.

Die 30. Novembris à Cardinali Bouil-
lonio, Purpurati Collegii Decano Clemens
XI. in Episcopum consecratus est, quod
à temporibus Clementis VIII. factum non
est, cum omnes ante electionem suam Epi-
scopi consecrati jam essent; die autem
8. Decembris cæremoniis consuetis in
Vaticano coronatus est, & post coronatio-
nem suam in comitatu omnium Cardinali-
um ad Jubilæum lucrandum quatuor Ec-
clesias devotè visitavit, & gradus sanctos
ascendens, singulos genuflexus osculatus
est,

est, humillimâ veneratione; ac demum pridie Nativitatis Christi Annum Sanctum consuetis Ecclesiæ cæremoniis terminavit. Nimirum in vigilia Nativitatis Christi post finitas vespèras iterum, sicut in apertura PORTÆ SANCTÆ solennissimâ processione itum est ad limina PORTÆ SANCTÆ, & inter Ecclesiæ preces usitatas postquam ipse Summus Pontifex, & post Pontificem summus Pœnitentiarius in medium liminis ingressum ipsius PORTÆ SANCTÆ calcem benedictam trullâ, seu cochleari argenteo coniecit, ternosque benedictos lapides posuit, etiam monetæ argenteæ hujus anni diversas sortes supposuit, vel inseruit: tum in altum latumque murus erectus est, quod idem in aliis Ecclesiis eodem tempore à Cardinalibus Bouillonio, Pamphilio, Moreggia simili ritu peractum est. Et hic demum actis Deo gratiis, inter bo-
 antiatormenta, & campanarum compulsatarum sonitum, Jubilæi Sæcularis per Orbem Christianum celebrati, anno à Nativitate Christi M D C C. ac simul JUBILÆI ECCLESIAE PER SEPTENDECIM SÆCULA MILITANTIS compendiosâ rerum gestarum synopsis in angustis paginis exarati

F I N I S.

IN.